BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Estienne, Henri

Ad M. Ter. Varronis assertiones analogiae sermonis latini Appendix

[Genf] 1591

A.lat.b. 545#Beibd.1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10171754-7

**Copyright**

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10171754

10171754

# AD M. TER. VARronis assertiones analogiæ sermonis Latini,

## APPENDIX HENRICI STEPHANI.

*Item,*

## IVLII CAES. SCALIGERI de eadem Disputatio doctissima.

*Loci Varronis quamplurimi emendati.*




Excudebat Henricus Stephanus

ANNO M. D. XCI.

10171754

A. Plat B. 545

1

10171754

DOMINO
FRIDER. ROSENKRANTZ,
DE ROSENVALD, DANO,

HENR. STEPH. S. D.

ANALOGIAM *ex aliqua lingua, præſertímque è Græca vel Latina, tollere, idem propè eſſe iudico (vt iampridem à me dictum fuit) acſi quis è nauigio gubernaculum tollat. Eóque magis miratus ſum quomodo quidam, doctiſſimi alioqui viri, de illa in vtranque partem, & quidem pari concertatione, diſputari poſſe exiſtimauerint: ac non animaduerterint, argumenta quæ aduerſus eam afferuntur, eſſe infirma, & hominum cauillantium: at quæ pro illa, eſſe firma & valida, & hominum bonam cauſam bona fide tuentium. Quod non dubito quin Iulius Cæſar ſentire ſe oſtenderit in ſuo de Analogia commentario. At ecce tamen, ita in vtranque partem & ipſe Varro diſputat, vt rationum pondera in æquilibrio ponere, propemodum videatur: ac, quum duo illuſtres grammatici, Ariſtarchus & Crates, ſumma ope, ille analogiam, hic anomaliam, defenderit, vix iudicare poſſimus ab vtrius parti-*

büs ſtare malit. Quum igitur Varro tam bonam Analogiæ cauſam malè defendiſſe mihi viſus eſſet, admonendos lectores putaui: ne, tanti viri autoritate freti (ſiue ille non bona fide hanc cauſam defenderit, ſed præuaricatus ſit, ſiue potius defenſio eius ad nos haud plena peruenerit) Analogiæ ſuam autoritatem detraherent. Atenim quum attentius quàm prius (vt par erat) ipſum legens, in vepres ſæpe inciderem, quæ euerruncandæ erant, quòd vlterius pergere volenti viam interclauderent: contigit vt quod tempus vni operi totum impendere ſtatueram, alteri impendendum eſſet.

Sed, qualecunque hoc meum opus eſt, tibi à me dicatur, vt ſaltem meum in te amorem teſtetur: quem quum mihi Francfordij excitaſſet quæ inter nos ibi fuit conſuetudo, quum in Italiam proficiſcereris, non parũ poſt tuum ex Italia reditum auctum ſenſi: quum nobilem iuuenem multis de rebus adeo prudenter, adeo doctè, & (quod rarũ eſt) ſimul etiam adeo modeſtè loquentem audirem. Vale.

# AD VARRONIS assertiones Analogiæ Latini sermonis,

## APPENDIX.

### CAP. I.

*Quamuis Analogiam Latino sermoni tribuere, consentaneum rationi videatur: Anomaliam tamen non minus quàm Analogiam suos assertores habuisse.*

ANALOGIAM in Latino sermone multos habuisse assertores haud debere cuiquam mirum esse, videtur: quum illi dici possint se veritati (vt quidam loquutus est) assertores accommodasse: at fuisse etiam non paucos qui nullum ei in sermone isto locum dederint, sed contrà plenum esse anomalia contenderint: hoc certè non mirum solùm sed & incredibile iudicarem, nisi ipse etiam Varro abundè testatum nobis reliquisset.

Hoc enim est libri eius de Latina lingua noni initium, *In uerborum declinationibus disciplina loquendi dissimilitudinem an similitudinem sequi deberet multi quærunt.* (sed potius *quæsierunt* scribendum, aut, retinendo *quærunt*, illud *deberet* in de-

*beat* eſt mutãdum)& addit,*quum ab his ratio quæ à ſimilitudine oriretur, uocaretur* Analogia, *reliqua pars appellaretur* Anomalia. Atqui anomaliam ſequi, aut ducem habere, (vt ſtatim poſt loquitur, diſſimilitudinem iterum pro anomalia dicens) quid eſt aliud quàm nullam certam viam ſequi, ſed potius incertum viæ vagari? Hoc autem nõ eſſe aliud quàm ſuam libidinem ducem ſequi, nemo negauerit. Atque hac libidinis appellatione hac de re vtor poſt ipſum Varronẽ pag. 138. meæ editionis, duobus in locis.

## *CAP. II.*

*Ne in Græco quidem ſermone agnoſcere Analogiam quoſdam voluiſſe.*

*De Ariſtarcho & Cratete grammaticis, quorum ille, Analogiæ, hic Anomaliæ patrocinabatur. Item, de Chryſippi libris quos de Anomalia ſcripſit. Necnon de Ariſtophane grammatico Analogiam defendente.*

*Varronis loci aliquot emendati.*

VErùm quid de ſermone Latino loquor? nõnullos ne in Gręco quidem agnoſcere analogiam voluiſſe, ex eodem quoque Varrone diſcimus. Quis enim Cratetem aliam potius analogiam quàm eam quæ Græcæ linguæ tribueretur, oppugnaſſe, quis Ariſtarchum aliam potius propugnaſſe exiſtimet? Non vno autem in loco mentionem horum facit: ac vtriuſque ſi-

mul meminit in principio libri octaui, vel potius eorum quæ ex octauo libro superſunt: dicens, Craterem, nobilem grammaticum, fretũ Chryſippo, homine acutiſſimo, qui reliquerit ſex libros de anomalia, his libris contra analogiam atque Ariſtarchum eſſe nixum. Atque iis quæ ſubiungit, ſe Cratetis ſcripta parum probare oſtendit. Nam illis quæ retuli, hæc adiicit, *Sed ita (ut ſcripta indicant eius) ut neutrius uideatur peruidiſſe uoluntatem. quòd & Chryſippus, de inæqualitate quum ſcribit ſermones,* (ſed *ſermonis* lego, vt inæqualitas ſermonis ſit quod anomaliã vocauit) *propoſitum habet oſtendere, ſimiles res diſſimilibus uerbis, & ſimilibus diſſimiles eſſe uocabulis notatas. id quidem eſt uerum*: (niſi potius legendum, *id quod eſt uerum*, includendo hæc verba notis parentheſeωs (*& quum Ariſtarchus de æqualitate conſcribit, & de uerborũ ſimilitudine, quorũdã inclinationes ſequi iubet, quoad patiatur cõſuetudo.* Ac pro eodem Ariſtarcho facere, eiúſque cauſam tueri videntur & quæ illis adiicit: ſcribens, eos qui in loquendo partim ſequi iubent conſuetudinem, partim rationem, non tam diſcrepare: quòd cõſuetudo & analogia coniunctiores ſint inter ſe quàm alij credant: quippe quum nata ſit ex quadam cõſuetudine analogia. Sed & Ariſtarcheos nominat quoſdam qui analogiæ patrocinati ſunt. vt pag. 96, *Relinquitur de caſibus: in quo Ariſtarchei ſuos interdunt neruos.* Atque hi eſſe iidem videntur qui *ab Ariſtarcho grammatici* nominantur, pag. 134: perinde ac ſi diceretur οἱ ἀπὸ τοῦ Ἀριστάρχου γραμματικοί. Scripſerunt verò & alij de

Analogia, & quidem pro Analogia.quorum in numero Aristophanes.Nam in fine paginæ 139, *Tertium genus est*(inquit) *illud duplex quod dixi, in quo & res & uoces similiter proportione dicuntur:ut, bonus,malus:boni,mali.* atque his adiungit, *de quorum analogia & Aristophanes & alij scripserunt.* Sed pro *similiter* libenter substituerim *simili*: vt legatur,*simili proportione dicuntur*.Sic verò & aliqua esse proportione similia dicit alicubi: vt pag.134.

Mentionem porro eiusdem Aristophanis facit & in mentione Analogię,pagina etiam 103, *'Aristophanes improbandus, qui potius in quibusdam ueritatem quàm consuetudinem sequutus?* Nam vt alibi,rationis,ita hîc veritatis appellatione intelligi analogiam existimo:perinde ac si hîc quidē veritatem quandam analogicam,illic verò rationem quandam analogicam diceret.Ac paulo etiam pòst rationem consuetudini opponit: *Quid si uiri sapientissimi, & in re militari, & in aliis rebus multis contra ueterem consuetudinem quum essent usi, laudati: despiciendi sunt qui potiorē dicunt oportere esse consuetudinem ratione?*Sed particulam negantem deesse hîc arbitror, sicut & interrogationis notam post voculam *quid*: quinetiam interpungendum esse inter *rebus* & *multis*:vt intelligamus,& in re militari & in aliis rebus,fuisse multa quibus illi alium quàm consuetum vsum dederint,& hinc tamen laudati fuerint: ac totus ita locus legatur, *Quid? si uiri sapientiss.& in re mil.& in aliis,multis contra uet. cons. quum essent usi,laudati: despic. sunt qui potiorem dicunt non*

*oportere esse cons. ratione?* Alioqui dicerem scribẽdum esse, *Quod si uiri sapient. & in re mil. & in aliis multis contra uet. cons. quum essent usi, laudati, despiciendi sunt qui potiorem dicunt oportere esse cons. ratione.* vt hæc non interrogatiuè, sed pronuntiatiuè seu affirmatiuè, dicantur. Sed magis placet altera illa lectio, in qua particulam *non* adiicio. Nam & in aliis duobus tribúsve locis huius operis omissam esse eam animaduerti. Quorum vnus est hoc ipso in libro, pag. 110, *Qui dicunt, quòd sit à* Romulo Roma, *& non* Romula, *neque, ut ab oue* Ouilia, *sic à boue* Bouilia, *esse analogias, errãt.* Neque enim inficiaturus quisquam (qui locum hunc attentè perpenderit) quin adiuncta vocula negatiua legendum sit, *non esse analogias.* Fortasse autem & verbum *dicatur*, aut aliquod huiusmodi, deest ante particulam *non*: éstque ita scribẽdum, *sic à boue* Bouilia *dicatur, non esse analogias.* Nec minor sub iis quæ proximè sequuntur, latere error videtur, ex vnius vocabuli omissione: de qua dicam in eo capite vbi de analogiæ appellatione differam.

Cæterùm quod ad illud attinet de quo à me initio huius capitis dictum est, nonnullos ne in Græco quidem sermone agnoscere Analogiam voluisse: id testatur etiam Aulus Gellius: vel, (vt ab aliis vocatur) Agellius, libri secundi capite vigesimoquinto. Ita enim caput illud orditur, In Latino sermone, sicut in Græco, alij *ἀναλογίαν sequendam putauerunt, alij ἀνωμαλίαν.* Ac postquã harum vocum vtranque exposuit, addit, duos Græcos grammaticos illustres, Aristarchum &

Cratetem, ſumma ope, illum ἀνάλογίαν, hunc ἀνωμαλίαν defenſitauiſſe.

## CAP. III.

*An Varroni licuerit ea quæ pro Anomalia Græci ſermonis à Cratete, pro Analogia eiuſdem ab Ariſtarcho dicuntur, ſermoni Latino accommodare.*

*Quinetiam quomodo id facere potuerit.*

*Item, Vter ſermo magis Analogiam ſeruare videri poſſit.*

*Coniectura in Varronis locum qui mendoſus habetur.*

ISTA moueri quæſtio aduerſus Varronem poteſt, an ei licuerit ea quæ pro Anomalia Græci ſermonis à Cratete, pro Analogia eiuſdem ab Ariſtarcho allata inueniebat, ſermoni Latino accommodare. Quinetiam hæc, quomodo id facere potuerit. Ad priorem quæſtionẽ quod attinet, reſpondeo, Varronem minimè dubitaſſe quin idem de vtroque ſermone, quod ad anomaliam vel analogiam attinet, iudicandum eſſet: & quidem ideo illorum Græcorum grammaticorum autoritate vti ſibi licere exiſtimaſſe, quòd eos de Latino ſermone, ſi eius cognitionẽ adepti eſſent, idem omnino iudicaturos crederet.

Sed quomodo quæ de Græco ſermone, ſum-

ptis ex eo exemplis, dixerãt, Latino accommodare potuit? Minimè dubium mihi eſt quin alicubi exempla mutauerit: vt pag. 134, vbi legimus, Hoc *in oratione diligentius quàm alij ab* Ariſtarcho *grammatici. ut quum dicunt proportione ſimilia eſſe,* Amorem *amori,* Dolorem *dolori.* Mihi enim fit veriſimile, pro his Græcis nominibus, Ἔρωτα ἔρωτι, ſubſtituiſſe Latina illa, Amorẽ *amori*: vix tamen credens, & Ἀλγηδόνα ἀλγηδόνι, ſubſtituta fuiſſe ab eo pro his, Dolorem *dolori.* Idémque & de iis quæ ab eo proximè afferuntur in exemplum, dicendum fuerit.

Sed Græca etiam exempla, id eſt, è ſermone Græco petita, interdum ex Græcis grammaticis affert: veluti pagina 120, Reprehendunt Ariſtarchum, *quòd hæc nomina* Meliærtes & Philomedes *ſimilia neget eſſe: quòd uocandi caſus* (ſed *caſum* malo) *habet alter,* Meliærta: *alter,* Philomede. Eodémque modo & pag. 97, circa finem, *Si reſpondent* (verùm ex vocula *ſi* facio *ſed*) *ſimilia non eſſe, quòd ea uocemus diſſimiliter,* Sure, (niſi potius *ſciure* ſcribendum eſt) Lupe, Lepus. *Sic enim reſpondere uoluit* Ariſtarchus Crateti. *nam quum ſcripſiſſet ſimilia eſſe,* Philomedes, Heraclides, Meliærtes: *dixit non eſſe ſimilia. in uocando enim cum* E *breui dici* Philomede, *cum* E *longo,* Heraclide: *& cum* E *breui,* Meliærte. Ex quorum locorum collatione diſcimus, illud *ſcripſiſſet* de Cratete eſſe intelligendum. Sed obſeruandum & hoc, vno quidem in loco, Meliærta, in vocandi caſu, in altero autem, Meliærtæ legi.

Cæterù m ad exempla quod attinet è ſermo-

ne Græco petita, addere potes ſuperioribus etiam Diona & Theona, ex pag. 92 & 109. Adiice, ſi libet, & Alpha, alphatos, ex pag. 97, *Quòd Crates diœbat, cur quæ ſingulos habent caſus, ut literæ Græcæ, non dicãtur Alpha, alphatos.* Sed inter verbum *dicantur*, & hæc nomina, Alpha, alphatos, non dubito quin aliquid omiſſum à librario fuerit: & vel hęc vel ſimilia à Varrone ſcripta fuerint, *non dicantur per plures, ut Alpha, alphatos.* Quinetiam datiuum *alphati* adiectum ab eo fuiſſe, perſuaſum mihi eſt.

Habet alioqui Varro nonnulla vocabula quæ multis locis in exemplum inculcat, aut ſaltem non vno in loco proponit. Ex iis autem eſt Perperna, nomen viri, pag. 92, & 100, & 109, & 131. Sed horum eſt locorum vnus quem depraua tum corrigere conabor. Is eſt pag. 100, *Nam & quum ſit à Romulo Roma, proportione non eſt, quòd debuit eſſe Perperni filia, non Perpernæ.* Quid enim Romulus & Roma cum Perperno ſiue Perperna commune habent? Dico igitur aliqua huic loco verba deeſſe, & Varronem hæc vel ſimilia ſcripſiſſe, *proportione non eſt: quòd debuit eſſe Romula, non Roma: item Perperni filia, non Perpernæ. Perperna enim mulieris nomen eſſe deb.* Peto autem illud Romula ex pag. 110. Fieri tamen poteſt vt maior etiam ſit omiſſio, & ab illo exemplo non ſtatim ad hoc tranſierit: quoniam alio modo non ſeruatur analogia (ſi modò non ſeruari hîc dicenda eſt) quum Roma dicitur pro Romula: alio, quum Perperna pro Perpernus.

Ad tertiam illam quęſtionem quod attinet,

Vter ſermo, Græcus an Latinus, magis Analogiam ſeruare videri poſſit : reſpondeo, videri quidem poſſe frequentiorem in Græco quàm in Latino eſſe Anomaliam : ſed hoc ex eo contingere quòd multo maior in Græca lingua ſit vocabulorum copia & varietas. Alioqui enim & quæ in pleriſque Latinis vocabulis anomalia cernitur, eadem ferè & in Græcis, quæ illis ſignificatione reſpondent, ſpectatur.

## *CAP. IIII.*

*De Varroniana defenſione Analogiæ, diſſertatio. Cui præfixa ſunt nonnulla de Varronis apud ſuos & apud omnes ſuorum poſteros exiſtimatione, in re literaria.*

*Quædam eſſe tamen in quibus ſententiam eius ſequi minimè debeamus, ac præſertim in iis quæ de quorundam vocabulorum originibus ſeu etymologiis tradit.*

*Potuiſſe Analogiam & magis apto ordine & plenius defendi quàm ab eo defenſa fuerit.*

*Cuiuſdam loci Varroniani lectiones duæ, quæ meliores videntur ea quam habemus.*

DE VARRONIANA Analogiæ defenſione dicturus, de ipſo Terētio Varrone prius verba faciam. De hoc ſanè Terentio Terentianus non minus verè quàm honorificè loquēs dixit, *Vir doctiſſimus undecunque* Varro. Nec minus

ſuo eum elogio Lactantius ornauit (niſi potius magis etiam ornaſſe dicẽdus eſt)quum ſcripſit, M. Varro, *quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, uixit.* Quòd ſi à magis etiam laudato viro (excepta ea quam veræ religionis cognitio meretur laude) & qui multis hos ſeculis præceſſit, laudatum eſſe, multo eſt honorificentius: audiendus nobis eſt de eo loquens Cicero. Cuius tamen verba quoniam meæ operum Varronis editioni præfixi, hîc non adiiciam.

Sed nolim tanti apud quenquam eſſe vlla de Varrone iudicia, vt præiudicium veritati vllum afferre dici poſſint: quaſi vbique in verba Varronis, neglectis etiam iis rationibus quas ipſa illis veritas opponere videtur, iurandum nobis eſſet. Iam enim vel ea quę de quorundam vocabulorum etymologiis ſcripſit, ab eo iureiurãdo nos deterreie debent. Pleroſque enim ſermonis vtriuſque doctos viros, qui in lectione iilarum verſati ſunt, latere haud poteſt, eum partim malignitate (niſi potius maligna quadam inuidia dicendum eſt) impulſum, partim ingenij ſui acumine nimis fretum, multis vocabulis alias quàm ſuas, id eſt Greças, origines aſſignaſſe: & ita quidem vt aliquot eius loci aut viſum aut bilem mouere pleriſque lectoribus poſſint. Nam vel hoc, quale eſt, vlli perſuadere lectori velle, vocẽ *ager* aliunde quàm à Græca ἀγρὸς ortum habere? Ager (inquit) *dictus eſt in quam terram quid agebãt, & unde quid agebant fructus causa.* Niſi fortè ſcripſit, Ager *dictus eſt terra in quam terram quid ageb.*

vel, *dictus est de terra in quam terram*. Ita enim interdum relatiuo suum antecedẽs subiungebãt: quod & Liuius aliquot locis imitatus est. Verùm, siue lectionem harum alterutram, siue illã (aliquid tamen duriusculi habẽtem) sequamur, idem dicetur: idem, inquam, & quod eodem vel risum vel bilem modo non immeritò mouerit. Nam cùm alia nomina quæ seruata analogia è Græco sermone sic deriuata sunt (id est, talem terminationem Græcam tali Latina commutauerunt) præsertímque propria, tum verò ὄναγρος mutatum in *onager* de vera origine admonere eum poterat.

Quid quòd ne *uino* quidem suam & omnium consensu receptam originem reliquit? Nam quum inter omnes, *uinum* de Græco οἶνος deductum esse, conueniat, *vitis*, inquit ille, *à uino: idque à ui*. Atqui nec propter præfixam literam *u* consonantem minus agnoscere receptam illam deriuationem debuit: quum illud ipsum vocabulum vnde nomen hoc *uinum* ortum habere scribit, è Græco, sed præfixa eadem litera, factũ sit. Nam quin *uis* ex Græca voce ἰς facta sit, minimè dubito: licet alioqui & ex βία facta videri queat. Ac mouent me cùm alia quædam paucula vocabula quæ è Græcia in Latinitatem, cum eiusdem literæ prothesi, transierunt, tum verò multa quæ inde huc transeuntia epenthesin eiusdem assumpserunt. E quibus sunt O*uu*s & O*uum*, quum Græci ὄϊς & ὠὸν dicant.

Ac fortasse, si talis huius literæ epenthesis in his aliisque nonnullis vocabulis illi in mentem

veniſſet, quũ vocis *æuum* originem docere nos voluit, aliam propoſuiſſet quàm quæ libro quinto legitur, pag. 46. AEuum (inquit) *ab ætate omniũ annorum. Hinc* AEuiternum, *quod factum eſt* AEternum. Ac poſtea quidem vocis αἰὼν mentionem facit, ſed non tanquam ex ea Latina illa orta ſit. Subiungit enim, Id *ait Chryſippus eſſe* αἰῶνα. intelligens, vt opinor, Chryſippum ita definire αἰῶνα vt ipſe *æuum* definit: dicẽs eſſe ætatem omnium annorum.

Sed de harum quidem aliarúmque quarundam vocũ originibus doctos lectores, vt à Varrone diſſenſuros, (de iis enim loquor quæ è Latino petuntur ſermone, quum è Græco arceſſi debeant) ita inter ſe conſenſuros, facilè credide rim. Verùm & nonnullæ ſunt de quibus à Varrone quidem vnanimiter diſſentiant, ſed tamen ita vt inter ſe minimè conſentiant. Exemplo ſit ea origo quam dat vocabulo Terra. Terra (inquit) *dicta ab eo quod teritur.* Nam addit quidem, *ut* AElius *ſcribit*: ſed ita vt ſe illi aſſentiri oſtendat. nam addit, Itaque Tera *in augurum libris ſcripta cum r, uno.* Hîc meritò vir longè doctiſſimus, Ioſephus Scaliger, à Varrone diſcrepat, ſicut & alios quamplurimos, non minus quàm me, illi refragari arbitror. Verùm & ab illius longè doctiſſimiviri ſententia multũ diſcrepans eſt mea, de eo quòd Terra vel Tera (vt apud eum ſcriptũ eſt, eo videlicet modo quo in augurum libris ſcriptam vocem hanc inueniri ait ipſe Varro) à δαίρα ortum habere contendit: addens, *ut* δὰς, δᾶδα, tæda: δάσκια, teſca, *a in e*: vt δὰψ, *deuir*: *nunc le-*

*uir*. Hæc ille: ſed quid nouum aliquod afferre vocabulum neceſſe eſt, & eam quæ in petenda ex eo origine interuenit mutationem exemplis illis defendere, quum vſitatiſſimum vocabulum ἔρα in prõptu ſit? Quis non & videat & fateatur multo eſſe veriſimilius, ex ἔρα (vnde & aduerbiũ ἔραζε) factum eſſe *æra*, vno *r*, ſecundum antiquã illam ſcripturam? Nam quod ad præfixam illi Græco ἔρα literam *t* attinet, hanc literam, ſicut & alias quaſdam, auſos eſſe Latinos quibuſdam vocibus Græcis, quas in ſuum ſermonem tranſferebant, præponere, non me ſolùm ſed alios etiam obſeruaſſe exiſtimo.

ADDAM verò & iſtud, eſſe præter Latina illa vocabula de quorum è ſermone Græco origine nemini dubitatio relinqui poteſt, etiam nonnulla ex eo orta, ſed ita vt aliqua inter aliquos de iis eſſe poſſit controuerſia. Ex iis eſt verbum Vinco. nam hoc è Græco *νικῶ* deriuatum eſſe perſuaſum habeo: quum ad protheſin quidem *u* cõſonantis quod attinet, (in quibuſdam quæ Latini à Græcis mutuantur) eius exempla iam oſtenderim: epentheſis autem literæ *n* exẽpla oſtendere poſſim.

Vnius autem verbi Latini recordor, de quo ſcribens Varro, eodem quidem quo & in quibuſdam aliis peccat modo, quòd ex Græco ortum habere vel non recordetur, vel diſſimulet: ſed tamen ita vt quod de eius origine ſcribit, Græcæ voci cõuenire poſſit. Id verbum eſt Tremo. Tremo (inquit) *dictum à ſimilitudine uocis, quæ tunc quum ualde timetur, apparet.* Nam Latinos

ſuum *tremo* quis è Græco τρέμω mutuatos negare auſit? Sed illa ὀνοματοποιία quam affert Varro (quæ enim dicit, onomatopociæ ſunt periphraſis) non video cur minus in Græca voce locum habere poſſit.

QVOD ſi & ad ea tranſcundũ vocabula ſit, quorum etyma extra Latinitatis pomœria quærenda non ſunt, ne hac quidem in parte iurandũ in Varronis eſſe verba videbimus. Cogitare (inquit) *à cogendo dictum. mens* (fortaſſe *mens enim*) *plura in unum cogit, unde deligere poſſit*. Quid? nonne vt adſcripturam illius verbi Cogitare, ſic etiam ad veritatem propius accedere dicendus erit qui Cogitare quaſi Coagitare dictum eſſe contendet? Sed ſimplicis verbi Agitare (dicet aliquis) ſignificatio nihil cum illa compoſiti Coagitare ſignificatione commune habet. Imo verò Agitare tale etiam quiddam interdum ſonat: ſic tamen vt *fatear*, plerunque (in ſoluta præſertim oratione) ablatiuum *animo* vel *mentæ* adiici. Paucis interiectis (de quibus nunc taceo) à cogitatione dictum eſſe Concilium tradit. vnde eſſe Conſilium. Et addit, *quòd ut veſtimentum apud fullonem quum cogitur, conciliari dicitur*. Atqui quonam fieri modo poteſt vt vox iſta *cogitatio* vocem illam *concilium* planè à ſe diuerſam & nulla veſtigia retinentem (niſi duas primas literas quiſpiam eſſe aliquod veſtigium dicat) pepererit? Sunt verò & alia multa de quibus non minus quàm *de iſtis* is qui iudicio valebit lector, Varroni ſit refragaturus.

Ac ſunt etiam quæ ne ſcripſiſſe quidem Var-

ronem crediderim. Cuiuſmodi eſt illud, eadem in pagina, *Tremuiſti, id eſt, metuiſti*. Quaſi verò quicunque metuit, etiam tremat.

## CAP. V.

*De quibuſdam aliis Varronis, quæ tãta doctrina quanta Varroniana fuit, non immeritò fortaſſe indigna iudicari poſſint.*

*De nonnullis in Varrone reprehenſis, quæ minus reprehenſionem merentur, miníſque mira quàm alia quædam, videri queunt.*

*De Plauti loco in quo* pertenax *non* pertinax *legendum cenſeo.*

SVNT quędam prędterea quæ tanta viri huius doctrina non ſatis digna, & conceptæ de illa exſpectationi non ſatis reſpondentia videri poſſunt, inter illa quę de Latina lingua ſcripſit: Cuiuſmodi eſt quod de nomine *uenator* legimus, pag. 25, *Venator à uenatu.* Neque enim eſt hoc ipſam vocabuli radicem oſtendere. alioqui dicendum fuiſſet, Venari (ex quo venatus & venator) à venis. Atque ab hoc loco non fuiſſet alienum, aliorum duorum facere verborum mentionem, quę ad idem ſignificationis genus pertinentia, etiam quandam velut analogiam inter ſe ſeruant circa originem. Ea ſunt Rimari & Scrutari. ſic enim *Rimari* quidem à nomine *rima*, *ſcrutari* verò à nomine *ſcrutum* eſſe ortũ conſtat.

In iis etiam quę proximè præcedunt, dicen-

dum potius erat Vestigare, (vnde Vestigator) quasi Vestigiare, à vestigiis ferarum.

Nec minus coniugatorum seriem (vt ita loquar) confundit, quum *prudentia* vult prius esse dictum quàm *prudens*: itidémque *strenuitas* & *nobilitas* prius quàm *strenuus* & *nobilis*. atque his miscet *ingeniosus*, *ab ingenio*. Neque enim dubiũ est quin *ingenium* prius dictum sit quàm *ingeniosus*; & quin analogiam seruent inter se, *Ingeniosus*, *ab ingenio*, *studiosus*, *à studio*, *Officiosus*, *ab officio*, *Obsequiosus*, *ab obsequio*: sed hinc non sequitur, etiam *prudentia* esse prius quàm *prudens*, itidémque *strenuitas* & *nobilitas* priora esse quàm *strenuus* & *nobilis*. Sic enim & *bonitas* prius esset quàm *bonus*, & *malitia quàm malus*: & *iustitia* prius quàm *iustus*. Quod natura Latinitatis, id est Latinæ vocabulorum seriei, minimè permittit vt dicamus. Ac nec in Græca lingua talis esse nominum potest series, vt dicatur non ex δίκαιος esse factum δικαιοσυνή, sed ex δικαιοσυνή illud δίκαιος ortum habere. Constat enim ex δίκη quidem esse δίκαιος, at ex hoc δίκαιος esse δικαιοσυνή. Quo dicendum est modo ex nomine *ius* esse *iustus*, ex hoc *iustus* esse *iustitia*: non autem cum Iustinianeis iurisconsultis esse *ius* dictum *à iustitia*. Alioqui eadem nobis opera persuadeant non *ex rus* esse factum *rusticus*, ex hoc autẽ *rusticitas*: sed ex *rusticitas* natum esse *rus*. Atque vt ad illa priora nomina reuertar, hinc iste error natus est, quòd quum exponitur *prudens*, dicitur esse is cui inest prudentia: itidémque *strenuus*, cui inest strenuitas. Sed eodem modo dicendum

esset,

esset, σπουδαῖος (quo interdum nomine Aristoteles, sicut & alij philosophi, probum virum appellat, qui vulgo ἀγαθὸς dicitur) esse prius quàm σπουδή: quòd σπουδαῖος exponatur is cui inest σπουδή. Atqui & verba sunt nōnulla ad quorum expositionem verbalia eorum adhibentur: & quis tamen verbalia ipsis esse verbis priora dicere auderet?

INTERIM verò à quibusdam reprehensa fuerunt nonnulla hūc apud scriptorem, quæ reprehensionem non merebantur, potiusquàm ea quæ commemoraui, vel illis similia. Eorum, quæ immerito reprehensa fuerunt, est illud quod de etymo nominis *pertinacia* in vestibulo huius de lingua Latina operis (id est, eorum quæ ex eo superstant) legitur. Nam quum *pertinaciam* à Pertendo esse scribat, non defuit qui mirari se dixerit cur non potius à *Pertineo* deduxisset: quòd apud Plautum *pertinax* legatur, sic à Pertineo deriuatum, vt *tenax* à Teneo: in Captiuis, *Quid tu ais? tenáxne pater est eius?* P. *Imo ædepol pertinax.* Sed cur Plautum *pertinax* potius quàm *pertenax* scripsisse, & tantùm alludere ad istud *pertenax* voluisse credemus? Alioqui certè & *tenax* obstinatum siue obfirmatum significare dicendum esset, sed minus tamen obstinatum quàm sit is qui ibidem *pertenax* (vt ego quidem scribo) dicitur: vt autem alij, *pertinax*. Nec verò *pertinacia* pro *pertendacia*, à *pertendendo*, magis videri mirum debet quàm *contumelia*, pro *contemnelia*, à cōtendendo. Ac verisimile est apertiora illius à pertendēdo etymi vestigia in prima scriptura fuis-

se, quum litera d in ea (vt opinor) retineretur: siue litera e in i iam mutata foret, siue adhuc immutata maneret.

Sunt etiam alia in eius de Latina lingua scriptis quæ potius quàm illud mira videri debeant: quorum est vel hoc, quòd *dentum*, nõ *dentium*, dici scribit. Nam *ciuitatum* quidem & *ciuitatium*, itidémque *parentum* & *parentium* admittit, sed *dentum* tantummodo: quum alioqui ita dicatur *dens* vt *gens* & *mens*: & ab his tamen *gentium* & *mentium* dici nemo ignesciat. Quis non, nisi hoc Varro diceret, illud *dentum* non suspectum solùm haberet, sed damnare etiam auderet: quum passim apud Ciceronem, Plinium, Celsum, atque alios, non *dentum* sed *dentium* occurrat? Neque verò non iure quis & illud miretur (meo quidem iudicio) *genteis* quidem dici cũ litera *i*, at *menteis* tantùm, sicut & *denteis*, absque illa: si eidem credimus.

Quinetiam quædam ab eo dicuntur, quæ ob ignorationem prisci sermonis mira nobis videri queant. Cuius enim auribus noua hæc quæstio nõ accidat, (quam habemus pag. 89.) *utrum Herculi an Herculis clauam dici oporteat*. Nemo certè est qui *Herculis clauam*, non autem *Herculi*, & dicat & dicendum putet? Verùm de his in alio huius opusculi loco plura.

Vt autem ab iis quæ apud Varronem noua, & mira tamen potius quàm reprehensione digna sunt, ad ea reuertar quæ eam mereri videntur: de his monendum lectorem putaui, non vt tanti viri quantum antea ostendi, existimatio-

nem autoritatémque imminuerem: sed vt à me, in ea etiam parte qua analogiam defendit, aliquid in eo desiderari, minus miraretur. Quid autem est illud? Immo (vt ingenuè fatear) non vnum sed duo in ea defensione desidero: & aptiorem earum quas pro Analogia affert rationum dispositionem, & magis etiam strenuam in iis conquirendis operam. Ad posterius enim istud quod attinet, plus quidem satis fuit in proponendis quibusdam quæ parui momenti sunt, diligens & verbosus: sed in eo fuit negligens, quòd nonnullas, quæ magni momenti fuissent, prætermisit. Adeo vt vtrunque eorum quæ in calce libri sexti dicit de iis quæ super etymologiis Latinarum vocum scripsit, de illa quoque dici scriptione possint. *Sed uereor* (inquit) *ne plures sint futuri qui de hoc genere me quod minimum multa scripserim, reprehendant: quàm quòd reliquerim quædam, accusent. Ideo potius iam reprimendum quàm producendum puto esse uolumen.* Quibus hæc subiungit, (respiciens ad ea quæ posterius dixit, de quibusdam quæ reliquerit) *Nemo reprehensus qui è segete ad spicilegium reliquit stipulam.* Vtrunque horum, inquam, de iis quoque posse videtur dici quæ de analogia scripsit: vt capite sequenti ostendam, ostendere quidem certè conabor.

## CAP. VI.

*De iis quæ in Varrone desiderari videntur circa ea quæ de Analogia scribit.*

*Non desideratum iri in eo fortasse pleraque eorum quæ desiderantur, si quæ de Analogia scripsit, integra & plena haberemus.*

*Repetitiones apud eum esse quorundam iã dictorum, quæ fastidium creare lectori queũt, & efficere vt verbosus videatur. Sed quædam esse cum aliqua adiectione, aut magis aperto sermone, ideóque non sine eius commodo, repetita.*

*Eius loci aliquot ex coniectura emendati.*

IN VARRONIANA Analogiæ, defensione duo desiderari mihi videri, iam dixi: vnum, aptiorem earum quas pro analogia affert rationum collocationem: alterum, magis strenuã in iis conquirendis operam. Sed quum sciã posse valde diuersa esse de ordine quo collocari hæ debuerint, iudicia, magnámque ea de re cõtroversiam oriri, & minus tamen momenti in ordine positum sit: meam de hac re sententiam proposuisse contentus, ad alteram veniam.

Dico igitur, Varronem debuisse magis strenuam defensioni Analogiæ operam nauare, iis quas pro eius assertione affert rationibus alias adiiciendo, & plurimis insignibus exemplis autoritatem illi conciliando. Debuisse etiã, earum

quæ ab aduerſariis opponerentur rationum delectum habere, non autem pariter omnibus, tãquam pàris eſſent ponderis, reſpondere. Quid enim (exempli gratia) vllo reſponſo ſtultam obiectionem eorum dignari attinebat, qui ideo eſſe Analogiam negabãt, quòd qui de ea ſcripſiſſent, aut inter ſe non conueniſſent, aut, in quibus conueniſſent, ea cum conſuetudinis verbis diſcreparent. At ille contrà, tanquam eiuſmodi eſſet hæc obiectio quæ non minus quàm quæuis alia locum habere poſſet, multa ad eam reſpondet: & ſic (id eſt, eandem rationem ſequendo) omnes repudiandas fore artes dicit: quòd in medicina & in muſica & in aliis multis diſcrepant ſcriptores. Quibus quæ adiicit, videnda tibi circa libri octaui finem relinquo: vbi meo iudicio (atque hoc ſit obiter exemplum eius quam dixi non ſatis aptæ quorundam collocationis) hæc ad illam obiectionem reſponſio ſibi ſatis conuenientem locum non habebat.

Sed aliud eſt inſuper de quo, antequam hinc diſcedam, te monere ſtatui: à me obiectionem illam afferente ex hoc ſcriptore prætermiſſam eſſe vocem *utcunque*, quòd mendoſa mihi videatur. Eius enim hæc ſunt verba. De *eo quod in priore libro extremum eſt, ideo non eſt analogia, quòd qui de ea ſcripſerint, aut inter ſe non conueniant, aut in quibus conueniant, ea cum conſuetudinis diſcrepant uerbis utcunque. Sic enim omnes repudiandum eſt artes: quòd in medic.* &c. Nã hîc pro *utcunque* aliud à Varrone ſcriptum fuiſſe exiſtimo: ac, quum ſequatur, *Sic enim omnes repudiandum eſt artes*, non

dubito quin præcederet, vel *errant*, vel *fallun-tur*, vel tale quid. nam aptè illa ſubiungerentur, *Sic enim omnes rep.* &c. Alioqui vel *uanum eſt*, vel *falſum eſt*, vel tale quid, exſpectari à lectore potuiſſet, niſi præceſſiſſet, De *eo quod in priore libro extr* His enim vt ſubiungatur, *uanum eſt*, vel *falſum eſt*, ſtructura orationis non permittit: permiſſura, ſi præceſſiſſet, *Quod in priore libro extr.* non præfixis illis voculis, De *eo*. Quum tamen in nullo horum quæ deeſſe videri queunt vllum ſit vocabuli *utcunque* veſtigium, videndum ne multo plura verba deſint, & aliquid ab eo dictum hîc fuerit cui vox illa *utcunque* conueniret: vt contra nullo eam modo cum verbo *diſcrepãt* conuenire puto: præſertim quum & in ſequentibus non dicat, *diſcrepant utcunque ſcriptores*: ſed *ἁπλῶς*, *diſcrepant ſcriptores*.

SED lectorem celare nolo, veriſimile mihi fieri (quod, vt opinor, & illi fiet) ex iis quæ in Varrone deſiderãtur, in ea quidem nominatim parte vbi de Analogia diſſerit, nonnulla eſſe eiuſmodi vt ea minimè deſideraturi fuerimus ſi integra & plena eius de ea ſcripta ad nos peruenniſſent: ſed, quum pluribus in locis quædam aduerſariorum obiectiones proponantur, nos in eorum ſaltem aliquo ea fuerimus inuenturi. Atque, vt ad exempla veniam, ſiue ex iis petita quæ vno tantùm in loco, ſiue ex iis quæ in pluribus dicuntur: quis putet, vbi vel Varroni vel alij Analogiæ patrono obiiciebatur, non Homo, *hominis*, vt Sermo, *ſermonis*, vt Pulmo, *pulmonis*, atque vt alia pleraque, *ἀναλόγως* dici, ſed Homo, ha-

*minis*: non veniſſe in mentem, reſpõdere, in priſco Latinorum ſermone Homo, *homonis*, dictum fuiſſe? Ignotum illis erat ſcilicet illud hemiſtichium, *miſerum mandebat homonem*. Sic autem in priſco ſermone dictum fuiſſe initio Hectôrem & Neſtôrem, ſed poſtea Hectorem & Neſtorem, quodam in loco docet: vt circa finem huius capitis oſtendam. Atque vt tranſeam ad aliud eius quod propoſui exemplum, Romulam dictam initio fuiſſe quæ poſtea vocata ſit Roma, legimus, & quidẽ Varrone teſte adhibito: quid? an Varro, duobus tribúſve in locis illi aduerſus Analogiam obiectioni reſpondens, cur à Romulo nõ Romula ſed Roma dicatur, iſtud tacuiſſet?

A D repetitiones autem quod attinet, hæ certè faſtidium (vti dixi) creare lectori Varronis queunt: ſimúlque efficere vt verboſus ſcriptor videatur. Ac, niſi de hoc eadem repetendi more moneatur qui nunc primùm ad eius lectionẽ accedit, aliquid noui ſubeſſe quibuſdam locis exiſtimet, in quibus tamen non alia quàm quæ iam dicta ſint reperiet. Quòd ſi idem quidem, ſed diuerſa afferens exẽpla, diceret, tolerabilior repetitio eſſet: quum contrà eadẽ quoque exempla proponat, vt videre eſt in illo *Perperna*, quod antea ex trib. quatuórve locis attuli. Sic verò & nominis *bigæ* exẽplũ aliquoties ab eo inculcari videmus. Aliquod interim cõmodum percipere ex quorundã repetitione poteſt lector, quòd quę vno in loco attingit tãtũmodo, & nõ plenè ideóque obſcurè aut ſaltem ſubobſcurè, dicit, alibi pluribus verbis ideóque apertius proponit.

Neque verò & hoc non animaduertendum eſt, in hac talium locorum (quorundam ſaltem) collatione, eum aliquid in vno dicere quod in altero omittit. Sic videmus eum de his nominibus *Iupiter* & *Marſpiter* ita loqui pagina 94, vt rectos modò habere fateatur. Poſtquam enim dixit, *Alia caſus habent & rectos & obliquos: alia rectos ſolùm, alia modò obliquos*: exempla ſubiungens, addit, *Habent utroſque, ut Iuno, Iunonis: rectos modò, ut Iupiter & Marſpiter: obliquos ſolùm, ut Iouis, Iouem.* Verùm pag. 116, poſtquam ſcripſit Analogiæ aduerſarios obiicere, alia non habere caſus rectos, alia obliquos, & ideo non eſſe Analogiam (ita enim malo quàm *Analogias* ſcribere) falſum id eſſe ait. & addit, *Negant habere rectos*: vt in hoc, *Frugis, fruge*: item, *Roris, rorem: obliquos non habere*: (ſed potius *obliquos habere* ſcribendum eſt, abſque negante vocula, quum *negant* præcedat) *ut in hoc, Dieſpiter, Marſpiter. Ad hoc reſpondeo, & priora habere nominandi, & poſteriora obliquos. Nam & Frugi rectus eſt natura Frux: ac ſi* (ſed lego *at ſi*) *ſecundum conſuetudinẽ dicimus, ut Hæc aus, Hæc ouis, ſic Hæc frugis.* &c. Nec multo poſt ad illa propria deorum nomina veniẽs, *Sic in obliquis* (inquit) *caſibus aut negant eſſe Marſpieris, Dieſpieris, non uideo: niſi quòd minus eſt tritũ in conſuetudine quàm Dieſpiter. Quod in nihil argumentum eſt. nam tam caſus qui non tritus eſt, quàm qui eſt.* Vbi deeſſe quędam puto, quum ſcripſiſſet Varro, *quòd minus eſt tritum in conſuetudine Marſpitris quàm Marſpiter, & Dieſpitris quàm Dieſpiter.* Quinetiam pro his, *Quod in nihil argumentum eſt*, ſcri-

bendum ſuſpicor, *Quod nihili argumentum eſt.* Fortaſſe autem & in iis quæ proximè ſequuntur, ſcripſerat Varro, *Nam tam cæſus eſt is qui non tri-tus eſt.* licet tolerari & altera poſſit lectio. Idem dicendum de quadam repetitione quam pag.140 habemus.quum enim iam pag. 98, *Itē ſecundum illorum rationem debemus ſecundis ſyllabis longis dicere*, Hectorem, Neſtorem. *eſt enim ut quæſtor prætor*, Neſtor, Hector: quum, inquam, hæc, nec plura de his nominibus dixiſſet, ac minimè ex iis coniicere poſſemus, dictum ita fuiſſe in priſco ſermone, Hectôrem, Neſtôrem, ſecunda producta: alius id nos docuit locus, in quo fit eorundem mentio. Is exſtat pag.140, *Hæc primò* (ſed *ac primò* lego) *omnes qui ſoluta oratione loquuntur* (niſi potius *loquebantur* ſcribendum eſt) *dicebant, ut quæſtorem, prætorem, ſic* Hectorem, Neſtorem. &c. Huius ergo meæ admonitionis meminiſſe Varronis lectorem, & quidem nouum præſertim lectorem, velim.

## CAP. VII.

*De aliis nonnullis quæ in legendis Varronis de lingua Latina libris animaduertenda ſunt, tam ad priſcum & Varronẽ priorem ſermonẽ quod attinet, quàm ad eum qui illi σύγχρονος, vel qui eo poſterior fuit.*

*In Varrone emẽdati ex coniectura aliquot loci, adiectis in uno iis quæ deeſſe videbantur.*

ALIA sunt nonnulla de quibus itidem monendum Varronis lectorem censui, antequam de eius defensione Analogiæ dissererem. Sciat igitur, interdum quidem ad Latinæ linguę ætatẽ Varrone priorem respiciẽdum nobis esse. interdũ verò ad eã quæ viuẽte illo sed & ad eam quę illo posterior fuit. Ad priscũ sermonẽ quod attinet, ad eum referre debemus nomina illa de quibus capite præcedẽte dictum fuit, Hectôrem, Nestôrem, secunda producta. Referre debemus etiam Duellonam, *à duello*, quæ postea Bellona *à bello* vocata fuit. Quinetiam Lases pro Lares. Quòd si Faux dictum vnquam à Latinis fuit, itidémque Frux (à quibus Faucis & Frugis) non ab aliis certè quàm à priscis. Sed ipse tamen circa sui operis finem, de hac Analogiæ definitione loquens, *Analogia est uerborum similium declinatio similis, non repugnante consuetudine communi*, docet nos, adiecta esse hæc verba, *non repugnante consuetudine communi*, quòd quædam verba cõtra vsum veterem declinata patiatur (ita enim, potius quàm *patietur*, scribendum est) vt passa Hortensium dicere Ceruix pro Ceruices: sed subiungit, *quædam non* (subaudi, patiatur) *ut si dicas pro* Fauces, Faux. Ac de recto Frux loquens, id naturæ, non prisco sermoni, tribuit. Sed veterem sermonem in multis imitatum esse naturam videmus. Pagina autem 20, de vocabulo nuptu, pro opertione, tanquam antiquo, nos admonet. Quòd si illi prisco deæ nomini, quod est Duellona, libet etiam prisca deorum nomina addere; inter illa poni queunt illa supra com-

memorata, *Dieſpiter & Marſpiter*. Ac in hoc numero ponitur etiam *Diouis*, initio paginæ 19, *Nã olim Diouis & Dieſpiter dictus, hoc eſt, aer, & dies pater*. Quibus & alia addit, è ſermone priſco petita: quæ ibi videnda relinquo. Ac de aliis etiam quorum ipſe lectorem admonet, non eſt quòd àme moneatur. At de obliquis caſibus, *Dieſpitris & Marſpitris*, quos in conſuetudine minus tritos fatetur, nõ addit, è veteri ſermone eſſe ſumptos: quod tamen de illis exiſtimandum reor.

Legimus item apud eum pag. 98, quandam de veteribus quibuſdam vocabulis diſceptationem. Et *non debuit* (inquit) *dici*, *Quibus das*, ſed *Queis das*. *Eſt enim ut eis, his, queis. at ſi eſt quibuſcũ, non ibus, & hibuſcum dicatur*? Sed ego longè aliter legendum cẽſeo, *at ſi eſt quibus & quibuſcum, cur non hibus & hibuſcum dicatur*? Quod autem ad particulæ *cur* adiectionẽ attinet, pro cõiectura mea faciunt exemplaria quæ habent *cum non ibus & hibuſcum dicatur*, ſine interrogationis nota. quæ ſi apponatur, fateor minus eſſe neceſſariam illam interrogatiuã voculam: quippe quæ ſubaudiri poſſit. Fortaſſe autem, vt *eis & his* præceſſerat, ita Varro non tãtùm *hibus & hibuſcum*, ſed etiam *ibus & ibuſcum* ſcripſerat: hoc modo, *cur non ibus & ibuſcum, hibus & hibuſcum dicatur*? Et quibuſdam interiectis, in quibus de genitiuo *familias* pro *familiæ* (vbi dicitur *patrifamilias*) loquitur: addit, *Neque oportebat conſuetudinem notare, alios dicere boum greges, alios, bouerum: ut ſtruum, ſic Iouum & Iouerum*: quũ eſſet vt *Iouis, bouis, ſtruis: Iouem, bouem, ſtruem: Ioui, boui, ſtrui*.

NON abs re autem dixi, respiciendum etiam esse ad illam Latini sermonis ætatem quæ ipsi σύγχρονος fuit, & in ipsius vitæ tempus incurrit: necnon ad eam quæ posterior ipso fuit, & quæ multa illi sermoni permisit quę seculum eius minimè permittebat. Non abs re autem id à me dictum esse, ostendent quæ sequuntur. Mirari enim poterit lector dum quædam leget apud hunc scriptorem quæ alibi non occurrent: nisi consideret, illo Varronis seculo multos fuisse antiquarios: & non vltimum inter illos hunc ipsum. atque hinc fortasse est illud pag. 46, *senescendorum hominum*. nam de seculo loquens scribit, *Seculum, spatium annorũ centũ uocarunt: dictum à sene, quòd spatiũ longissimum senescendorũ hominũ id putarunt*. Nec dubito quin vt mihi sic & aliis quamplurimis valde durè dictum id videatur. Neque omittendum est hîc verbum *indagatur* pro *indagat*: pag. 25, *Vestigator, à uestigiis ferarum quas indagatur*. Nisi fortè sequenda sit potius altera lectio, *quasi indagator*. Pagina autẽ 44, vbi ab eo dicitur *consuetudo nostra*, non dubito quin de sua ætate id intelligat. Eius verba sunt, *Sic inquam consuetudo nostra multa declinat: ut à uetere uetustum, ab solo solum, ab libero, liberum, ab lasibus lares*. Sed qualis est ista declinatio, *ab solo solum, ab libero liberum*? haud certè de mutatione vnius casus in alterũ loqui voluit: vnde fit vt propemodum mihi persuadeam, eum scripsisse, sicut *à uetere uetustum*, ita etiam à *solo solicitum, ab libero libertum*: aut *certè, ab libero liberalem*. Quinetiam pagina 98, circa finem, NUNC *in consuetudine aliter di-*

*ære, pro* Iouis, *Iupiter: pro bouis & bus, bos, pro ſtruis, ſtrues.* Sed alicubi ab eo affertur & *ſtrus*, tanquam quod analogia dici poſtulet. pag. 117, *Item reprehendunt quòd dicatur hæc ſtrues, hic* Hercules, *hic homo. debuiſſent enim dici (ſi eſſet analogia) hic* Heraul, *hæc ſtrus, hic homon.* Vbi malo *debuiſſe* quàm *debuiſſent*: vt referatur ad verbum dicunt, ſubauditum.

Quod autem ad illam attinet Latinitatem quæ Varrone poſterior fuit, non dubiũ eſt quin ea (vt dixi) multa ſibi permiſerit, quæ ſibi permittere non audebat ea quæ tempore Varronis erat. Exemplo ſit vox *balnea*, de pluribus dicta: hanc Varro à conſuetudine minimè fuiſſe receptam oſtendit: (ſcribit enim, pag. 93, *Neque ab eo quod dicunt balneum, habet multitudinem conſuetudo*) at quis tamen cùm alios tum Horatium *balnea* dixiſſe neſcit?

Quinetiam *Bubile* dictum fuiſſe ſcribit, non *Boule*. (pag. 94, *Primùm quum dicatur ut ab oue & à ſue Ouile & Suile, ſic à boue dicitur Bubile, non Boule*. Niſi potius ſcribendum *ſic à boue non dicitur Bouile, ſed Bubile*. Sed & particulam *ut* malim abeſſe poſt *dicatur*. Alioqui ſcribendum fuiſſet, *Primùm ut dicatur ab oue & à ſue Ouile & Suile, ſic à boue non dicitur Bouile, ſed Bubile*) at ego non dubito quin à nonnullis poſtea dictum & *Bouile* fuerit. Fortaſſe autem poſt eum & *Ferrifodinæ* dictum fuit ἀναλογικῶς, quinetiam *AErifodinæ*: non minus quàm *Argentifodinæ* & *Aurifodinæ* tum dicebantur: licet illius tantùm, non etiam huius meminerit. Quid ſi verò dicamus veriſimile

esse, nonnullos, sicut *lapicidas*, eos qui lapides cæderent, sic *lignicidas*, qui cæderent ligna, dixisse? Minus tamen de hoc contenderim, quòd de ligno findere potius quàm cædere in vsu fuisse existimem. vnde & *fissile robur* apud Virgilium legimus.

## CAP. VIII.

*An Varro satis strenuè analogiæ patrocinatus sit.*

VT tandem ab his, ad id quod huius est dissertationis caput, veniamus: & an Varro satis strenuus Analogiæ patronus fuerit, (ei enim potius quàm Anomaliæ se patrocinari voluisse, satis aliquot locis ostendit) videamus: quinetiam qualia sint quę ad eius patrocinium addi possunt, ostẽdamus: ab hac ipsa appellatione initiũ sumemus, ex eius definitione, pag. 141, *Analogia est uerborum similiũ declinatio similis, non repugnante consuetudine communi.* Sed hanc definitionem alia ibidem proximè præcedit, eadem cum hac, præterquam quòd verba hæc, *non repugnante consuetudine communi*, ei adiecta nõ sunt. Quæ ille paulo pòst dicit esse ideo adiecta, quòd quædam verba contra vsum veterem declinata patietur (nisi potius *patiatur* scribendũ est) vt passa Hortensium dicere pro Has *æruiæs* (sed Hæ *æruæs* scribo) *æruix*: quędam non: vt si dicas pro Fauæs, Faux. Verùm & hoc sciendum est, ab eo dictum fuisse, antequam ad hasce duas definitiones veniret, non item esse definiendam analogiam

eam quę dirigitur ad naturam verborum, atque illam quę ad vſum loquendi: ac definitionem quę quam dixi adiectionem non habet, illi quę ad naturam dirigitur dediſſe.

Sæpe autem huius *naturæ*, ſiue *naturalis generis declinationum* meminit: cui *uoluntarium* opponit pag. 88, *Declinationum genera ſunt duo, Voluntarium & Naturale.* Atque his ſubiungit, Voluntarium eſſe quod vt cuiuſque tulit volũtas declinauit. Et paucis interiectis, contrà à ſe vocari naturalem declinationem ait, quę non à ſingulorum oritur voluntate, ſed à communi conſenſu. Pag. autem 138, libidinem appellare videtur quòd hîc voluntatem. Cęterùm in illo paginæ 88 loco, addit, vtrunque nonnunquam accidere, & vt in voluntaria declinatione animaduertatur natura, & in naturali voluntas. Adiicítque his, quòd vtraque declinatione alia fiant ſimilia, alia diſſimilia, Gręcos Latinóſque multos de eo libros feciſſe: partim quum alij putarent, in loquendo ea verba ſequi oportere quę à ſimilibus ſimiliter eſſent declinata (quas appellarunt *ἀναλογίας*) alij quum id negligendum putarent, ac potius ſequendam *συνήθειαν* diſſimilitudinémque quę in conſuetudine eſt: quam etiam vocãt *ἀνωμαλίαν*. Quibus adiicit, *quum, ut ego arbitror, utrunque ſit nobis ſequendum: quòd in declinatione uoluntaria ſit ἀνωμαλία, in naturali, magis ἀναλογία.* Fortaſſe autem deeſt vox *magis* ante *ἀνωμαλία*: ac ſcripſiſſe putandus eſt, *ſit magis ἀνωμαλία*: ſicut ſequitur, *in naturali, magis ἀναλογία.* Cęterùm vt ad voluntariam declinationem redeam, natu-

rali oppoſitam, eam libro IX, referri ad conſue-
tudinem dicit, naturalem ad rationem. Sed in
iis quæ hæc præcedunt, quum rem altius repe-
tens, orationem in duas velut claſſes diuiſiſſet,
ac primam diuiſionem eſſe dixiſſet, quòd alia
verba nuſquam declinantur, alia declinantur:
& quum analogia non poſſit eſſe niſi in iis quæ
declinantur: (obſeruandum autem, cum hîc ver-
bo *declinare* ſicut & alibi verbo *inclinare*, ita vti
quemadmodum vulgo grammatici vtuntur:
nõ autem, vt ſolet ſæpiſſime, vbi ſcribit aliquod
vocabulum ex alio declinari) cum qui dicit ſi-
mile eſſe (niſi fortè ſcripſit *ſimilia eſſe*). Mox &
Nox, errare. Non enim eſſe eiuſdem generis v-
trunque verbum: quum Nox ſuccedere debeat
ſub caſuum ratione, Mox neque debeat, neque
poſſit. Hæc inquam, vbi dixit, addit, *Secunda di-
uiſio eſt de iis uerbis quæ declinari poſſunt: quòd alia
ſunt à uoluntate, alia à natura. Voluntatem appello,
quum unuſquiſque à nomine alio imponit nomen, ut
Romulus, Roma. Naturam dico, quum uniuerſi acceptũ
nomen ab eo qui imponit, non requirimus quemadmo-
dum id uelit declinari: ſed ipſi declinamus: ut*, Huius
Romæ, Hanc Romam. Quibus ſubiungit illa, De his
*duabus partibus uoluntaria declinatio refertur ad
conſuetudinem, naturalis ad rationem.* Mendoſus au-
tem eſſe videtur qui proximè ſequitur locus, &
ei aliquid deeſſe. Ibi enim legimus, *Quare proin-
de ac ſimile, conferri non oportet: ac dicere, ut ſit à
Roma Romanus, ſic ex Capua dici oportere Capua-
nus.* Quid enim eſt illud quod perinde ac ſimile
conferendum negat? nimirum id ibi deeſſe pu-
tandum

tandum eſt. Crediderim igitur à Varrone ſcriptum fuiſſe, *Quare Capua cum Roma* (vel *Roma cum Capua*) *promde ac ſimule, conferri non oportet.* Tum certè ſubiungentur aptè iſta, *ac dicere, ut ſit à Roma Romanus, ſic ex Capua dici oportere Capuanus.* Niſi quis malit legere, eodem alioqui ſenſu, *Quare Roma & Capua promde ac ſimule conferri non oportet.* Niſi quis *ſimulia* dicendum potius fuiſſe exiſtimat. Cęterùm (vt dixi morem eſſe Varroni pleraque repetere) dixerat & præcedente libro putare ſe declinatus verborum & voluntarios & naturales eſſe: voluntarios, quibus homines vocabula impoſuerint rebus quędam: vt à Romulo, Roma, à Tibure Tiburtes: naturales, vt ab impoſitis vocabulis quæ inclinantur in tempora & in caſus: vt ab Romulus, Romuli, Romulo, Romulum: & à Dico, dicebam, dixeram. Atque hinc infert, in voluntariis declinationibus inconſtantiam, in naturalibus conſtantiam eſſe. Sic autem & alibi ſimul impoſitionis & declinationis mentionem facit, tanquam inter ſe opponens. vt pag. 133, *Igitur ratio quam dico utrobique eſt, & in iis uerbis quæ imponuntur & in iis quæ declinantur.* Quò pertinentia quædam habemus & pag. 138.

Analogiæ fundamentum ait eſſe naturam, pag. 113. Et pagina 140, omnis analogiæ fundamentum dicit eſſe ſimilitudinē quandam: eámque ſolere eſſe in rebus, in vocibus, & in vtroque. Et pagina quę hanc prędedit, quoddam Analogiæ genus ait eſſe vocale, in quo voces modò ſunt proportionę ſimiles, non res. Atque

huic ſubiũgit genus quod tertium facit, in quo & res & voces ſimiliter proportione dicuntur. Niſi *ſimili proportione* ſcripſit. Pagina autem 101, Conſuetudinem & Analogiam ait eſſe coniunctiores inter ſe quàm quidam putẽt: quòd nata ſit ex quadam conſuetudine Analogia: & ex hac conſuetudo ex ſimilibus & diſſimilibus verbis. ſi quidem ita ſcripſiſſe credendus eſt: quum alioqui durum videatur dicere natam ex Conſuetudine Analogiam, & viciſſim Conſuetudinem ex Analogia. niſi intelligamus illas velut operas mutuas tradidiſſe. Verùm & in iis quæ ſequuntur, hæc lectio, *eorum quod declinationibus conſtat*, non video cui non ſuſpecta eſſe poſſit: nec dubito quin magis lectori placitura ſit hæc, *meo quod declinationibus conſtat.* vel iſta, *eorum quæ declinationibus conſtant.* Fortaſſe autem ſequebatur particula *ergo*, aut alia huiuſmodi, poſt illa verba (niſi fortè aliquot interiecta erãt, quæ nunc deſunt) & legebatur, *Ergo neque anomalia neque analogia eſt repudianda.* Quæ autem his proximè ſubiunguntur, non ſatis cohærere mihi videntur. Ideóque lectori conſiderandum relinquo an non ſuſpicandum ſit tale quid præceſſiſſe, Neque dicendum eſt analogiam in eo non eſſe, quòd ſit anomalia. Aptiſſimè enim vel his vel ſimilibus ſubiungetur verbis, *niſi ſi non eſt homo ex anima, quòd eſt homo ex cœrpore & anima.* Dat autem & alibi huic particulæ *niſi* eundẽ vſum: exemplum videlicet afferens itidem, quo id quod ab illis proponitur, reiicit tãquam abſurdum. Sic enim pag. 109, Quod *aiunt, quum*

*in maiore parte orationis non sit similitudo, non esse analogiam: dupliciter stultè dicunt, quòd & in maiore parte est, & in minore parte est: &, si in minore non sit, tamen sit in maiore.* Quibus subiũgit, *Nisi etiam nos calceos negabunt habere quòd in maiore parte corporis calceos non habeamus.* Sed videndum ne permutatæ sint sedes horum ablatiuorum *minore* & *maiore*, in iis quæ hoc exemplum præcedunt: ac scribendum sit, *&, si in maiore non sit, tamen sit in minore.* Tunc enim calceorum exemplum pulchrè quadrabit, quos etiamsi in maiore parte corporis non habemus, sed tantùm in minore, (si quidem pedes dici debent minor pars corporis, quum sint propemodum minima, cum aliis plerisque partibus collati) haud tamen quis eos habere nos neget. Huic autem loco (vt de hoc quoque obiter moneam) aliquid est commune cum iis quæ legimus pag. 117, *Nã ut signa quæ non habent caput, aut aliquam aliam partem, nihilominus in reliquis membris eorum esse possunt analogiæ, sic in uocabulis casuum.* Vbi interpungendum esse post *uocabulis* arbitror, & cum genitiuo *casuum* repetendum ἀπὸ κοινοῦ *genealogiæ*. Sequitur autem, *Possunt item fieri, ac poni quod aberit, ubi patietur natura.* Quo etiam notandum in loco naturam & consuetudinem iungi: quæ alioqui cùm alibi tum pag. 116, scribens rectum nominis frugi esse natura *frux*: at si (non *ac si*) secundum consuetudinem dicimus, vt hæc auis, hæc ouis, sic hæc *frugis*. Quibus addit, sic secundum naturam, nominandi casus esse *roris*, secundum consuetudinem *ros*. Sed fuisse etiã non-

nulla quæ in ipſa conſuetudine alij aliter dicerent, ex pagina 124. diſcimus, vbi de iis loquitur qui Hoc *monti* & Hoc *fonti* dicerent, quum ab aliis Hoc *montæ* & Hoc *fontæ* diceretur. Qui locus cùm ob quorundam vocabulorum omiſſionem, tum etiam aliter deprauatus mihi videtur. quum enim ita legatur, *non ſit ars, ſed artifex reprehendendus, qui debet in ſcribendo non u diſſe uerum. non ideo non poſſe ſcribi uerum. qui* diat Hoc *monti & Hoc fonti, quum alij* diant Hoc *montæ &* Hoc *fonte*: quum inquam hæc ſit lectio quam nobis exhibent Varronis exemplaria, ego contra ſuſpicor aut hæc aut his perſimilia cum in poſteriori membro ſcripſiſſe, *non ideo diœndum* (vel putandum) *non poſſe ſciri uerum, quòd quis diat* Hoc *monti &* Hoc *fonti*. Ac fuiſſe & alia quæ duobus modis dicerentur, quum tamen vno tantùm modo dici rectè poſſent, oſtendũt hæc quæ ab eo ſubiunguntur, *Sic alia quæ duobus modis dicuntur, quũ alterum ſit uerum, alterum falſum: non uter peccat, tollit analogias, ſed uter rectè diat, confirmat.* Ac quæ hunc locum claudunt, faciunt pro illa mea emendatione qua ex his verbis *ſcribi uerum*, facio *ſciri uerum*. Ibi enim legitur, *ſiquis aliter putat dici oportere atque oportet, non ſcientiam tollit orationis, ſed ſuam inſcitiam nudat.*

## CAP. IX.

### *De nominibus aliis quibus analogiam appellat Varro.*

ANALOGIAM aliis etiam nominibus appellat hic ſcriptor: quorum vnum eſt *æqualitas*, ſicut *inæqualitas* dicitur de anomalia. Sed pag. 101, poſtquam dixit *de æqualitate*, addit, *& de uerborum ſimilitudine*. At *inæqualitas* legitur pag. 90, *in ſermone quoque, qui eſt uſus cauſa conſtitutus, ea non repudianda*. nam hîc de inæqualitate loquitur, quam in veſtitu, ædificiis, ſupellectile, cibo, cæteris omnibus quæ vſu ſunt ad vitam aſſumpta, dominari ait. Sed initio libri octaui, vel potius eorum quæ hoc in libro ſuperſunt, vbi legimus, *quòd & Chryſippus de inæqualitate quum ſcribit ſermones*, ego *ſermonis* ſcribendum puto: ſicut iam monui pagina huius libelli tertia: vt *inæqualitas ſermonis* ſit quam vocauerat anomaliam.

Vocat autem & *rationem analogiæ*, pag. 107. quinetiam *rationem quæ à ſimilitudine oritur*, pag. 125. necnon *rationem ſimilitudinum*, pag. 102. Sed frequentius *rationem* abſque adiectione vlla dicit, & cõſuetudini aliquot locis opponit. (ſicut & *ueritatem* ei opponi docui antea: perinde ac ſi quis veritatem quandam analogicam diceret.) Ac legimus etiam pag. 104, *quum ſint in conſuetudine contra rationem*. Et paulo poſt, *Si enim ad rationem corrigi oportet quæ non ad rationem ſunt*. Ac fuerit fortaſſe qui latius extendere hîc velit vocabuli iſtius ſignificationem: ſed alioqui *rationẽ* ab eo de analogia ſine vlla etiam adiunctione dici, vel inde manifeſtiſſimum eſt, quòd quum pag. 88. ſcribat, *quod in declinatione uoluntaria ſit anomalia* (vel, *ſit magis anomalia*, vt ſcribendum

esse suspicor)*in naturali, magis analogia*: alibi dicat, *uoluntaria declinatio refertur ad consuetudinem, naturalis ad rationem*. Sic verò & pag. 124, quum dicit, *non tollit rationem*, perinde est ac si diceret, Non tollit rationem quæ petitur ex analogia: siue, quæ nititur analogia. aut breuius, rationem analogicam. Atque hoc exposui modo & antea, pagina huius ipsius opusculi quarta: vbi & *ueritatem* me itidem exposuisse recordor veritatem analogicam.

Quamuis autem quum ἀναλογίαν appellatione rationis vult intelligi, ad significationem quodammodo nomine hoc inclusam dici possit respicere: quòd δυνάμει includere λόγον videatur vox ἀναλογία: non dubium est tamen quin vocabulo nimis latè patente reddatur, quum eam interpretantur rationem: & quin potius sonet quod Latini *proportionem* dicunt: quem vsum & λόγος habet interdum. Vtitur ergo & proportionis appellatione hic noster præceptor non vno in loco. Sic enim pag. 97, *Sic item quoniam simile est recto casu surus* (vel *sciurus*) *lupus, lepus: rogantur non dicant proportione item suro* (vel *sciuro*) *lupo, lepo*. Habes hanc vocem & pagina 100. quinetiã *reddere proportionem*, pag. 95, *Et quum dicatur lassus sum metendo, ferendo: ex his uocabula non reddunt proportionem: quòd non sit ut messor, fertor*. Legimus etiam *similia proportione*, pag. 124, necnon 134. Et pag. 139. *in quo uoces modò sunt proportione similes, non res*. Et in fine eiusdem paginæ, *in quo & res & uoces similiter proportione dicuntur*. Quinetiam de proportione alia quàm quæ est in vo-

cabulis ita loquitur. vt pag. 106, Non *homines omnes quum sint ex anima & corpore, partes quoque horum proportione similes?* At pag. 107, proportionem similitudinis dicit, *Similiter ut siquis viderit mutilum bouem, aut luscum hominem, claudicantem equum: neget in cornibus boum, hominum & equorum* (si tamen ita scripsit) *naturam similitudinis proportione constare.* Videndum igitur annon ἀναλογία reddi aptè possit & ita, Proportionalis similitudo. Legimus autem & ἀνάλογον apud hunc scriptorem, pag. 133. necnon pag. 126, *Quid sit simile ac dissimile, quid ratio, quam appellant* λόγον: *quid proportio, quod dicunt* ἀναλογον. Quinetiam aduerbium ἀναλογικῶς apud eum habemus, pag. 91, & 95. Parum autem Græci sermonis consuetudinem norunt, atque in ipsam adeo analogiã apertè peccant qui & ἀναλογισταὶ dicere audent de iis qui analogiam sequendam putant, eiúsque sunt defensores: quum ἀναλογισταὶ esse à verbo ἀναλογίζεσθαι necesse sit, sicut & ἀναλογισμός. Verùm & aliter nomine illo abusi sunt (si abusus vnus alterum excusare potest) quidam iurisconsulti, à quibus *analogistæ* dicti sunt tutores qui rationibus reddendis obnoxij non essent: quum potius ἀνεκλόγιστοι vocentur: licet & hoc vocabulum parum in vsu sit, ac potius voce ἀνυπεύθυνοι, magis alioqui generali, sint appellandi. Verùm hæc obiter: de quibus, sicut & de aliis plerisque, vide meum de abusu Græcæ linguæ libellum. Illud addo, ad proportionis appellationẽ quod attinet, non immeritò cuipiam mirum futurum quod legitur pag. 113, *proportione propagata est*

*analogia*. Si enim proportio idem eſt quod analogia, quomodo *proportione analogiæ*, quaſi per analogiam analogiæ, dici poteſt? Reſpondebit aliquis fortaſſe ita dici proportionem analogiæ vt ratio analogiæ apud eum legitur, quum alioqui & ratio ſine hac adiectione non ſemel ab eo appelletur: ſed ego crediderim potius aliter locum illum eſſe interpungendum, & quidem ita vt ablatiuus *proportione* cum genitiuo illo *analogiæ* non iungatur. Quum igitur in omnibus quas vidi editionibus ſcriptum ſit eo in loco, *Quare quocunque progreſſa eſt natura, cum uſu uocabuli ſimilis, proportione propagata eſt analogia*: ego contrà hunc ablatiuum *proportione* iungendum eſſe dixerim cum genitiuo *ſimilis*: præſertim quum, vt oſtendunt ij etiam quos propoſui loci, minimè nouum videri debeat dici vocabulum aliquod proportione ſimile.

Ac, quoniam in hanc ſimilitudinis mentionem incidi, ad eos tranſibo locos in quibus & *ſimilitudinem* de analogia dicit: & quidem ab initio libri noni orſus. In *uerborum declinationibus* (inquit) *diſciplina loquendi diſſimilitudinem an ſimilitudinem ſequi deberet multi quærunt*. Vel potius *quæſierunt*. niſi malimus *deberet* in *debeat* mutare. Ac, nequis in dubium vocet quod de hoc iſtius vocabuli vſu dixi, audiat quę proximè ſubiungit, & anomaliam viciſsim *diſſimilitudinis* appellatione ſignificari diſcat. Sequuntur enim iſta, *quum iis ratio quæ à ſimilitudine oriretur* (niſi *oritur* malimus) *uocaretur* Analogia, *reliqua pars appellaretur* Anomalia. Legimus item pag. 108,

*eur ſimilitudo & ſit in oratione & debeat obſeruari.* ſicut pleriſque locis obſeruari analogiam dicit. Sic autem & pag. 95, *non ſeruare ſimilitudinem.* Pagina autem 109, ſcribit, *quum in maiore parte orationis non ſit ſimilitudo, non eſſe analogiam.* Quinetiam *rationem ſimilitudinum* dicit pag. 102, vt antea docui.

## CAP. X.

*Qualis ſit ea ſimilitudo quam Analogia poſtulat.*

*Non Analogiam tantùm ſed Analogias etiam dici à Varrone: & ſuſpectos eſſe cuipiam eos poſſe locos vbi non tantùm Analogiam ſed Analogias etiam vocat, de vna eadémque loquens, & idem de ea dicens.*

QVALIS autem ſit ea ſimilitudo quam poſtulat Analogia, non vno in loco docet Varro. Nam legimus pag. 97, Item, *quum ſi ſit analogia, debent* (vel potius *debeant*) *à ſimilibus verbis ſimiliter declinatis ſimilia fieri, & id non fieri oſtendi poſſit.* Sic verò & pag. 110. ſcribit, *quòd nemo pollicetur è uocabulo uocabulum declinari recto caſu ſingulari in rectum ſingularem: ſed ex duobus uocabulis ſimilibus caſus ſimiliter declinatos ſimiles fieri.* Quem tamen locum nequaquam mendo carere arbitror, ſed poſt in priore eius parte poſt *uocabulo* deeſſe *diſſimili:* & ſcriptum à Varrone fuiſ-

*ſc, è uocabulo diſſimili uocabulum declinari.* Quum enim dixiſſet eos errare qui contendunt non eſſe analogias,(nam perperam legi *eſſe analogias*, non præfixa particula negante, antea monui) quòd à Romulo ſit Roma, & non Romula: & quòd vt ab oue dicitur Ouilia, non itidem à boue dicatur Bouilia: rationem reddit eius quod dixit, Quoniam nemo pollicetur è vocabulo diſsimili vocabulum declinari recto caſu ſing. in rectum ſing. &c. Diſsimile autem eſt vocabulum bos vocabulo ouis. At ſi nihil addatur, falſum fuerit quod à Varrone ſcribitur. nam declinatio illa fieri poteſt è vocabulo in vocabulum: ſed è vocabulo ſimili. Quin & pag. 128. ſcribit, de verborum declinationibus, earum principia eſſe duorum generum. vnum enim eſſe debere, vt verbum verbo vnde declinetur ſit ſimile: alterum, vt è verbo in verbum declinatio, ad quam conferatur, eiuſdem modi ſit. Ac poſtquam talis ſimilitudinis & diſsimilitudinis quæ in declinatione eſt, exempla attulit, addit, *Quum utrunque & uerbum uerbo erit ſimile, & declinatio declinationi, tum denique dicam eſſe ſimilem, ac dupliçem & perfectam ſimilitudinem habere: id quod poſtulat analogia.* His autem potes adiicere & quæ initio paginæ 92 leguntur.

CAETERVM mirari quis poſsit, nolle vocabulum Capua cum vocabulo Roma conferri (nam ita legendum videri, antea profeſſus ſum) ac dicere, vt ſit à Roma, Romanus, ſic ex Capua dici oportere Capuanus. Hoc, inquam, mirari quis poſsit: ac dicere non perinde eſſe vt quum

Bouilia negatur dici posse sicut Ouilia: (qua de re paulo antè dictum fuit) quum Ouis & Bos vocabula sint dissimilem speciem habentia: at de Roma & Capua idem minimè posse dici videatur. Sed ego eum hoc dicentem ad consuetudinem puto respicere, cui similia non videantur illa duo nomina quę tamen nobis similia videntur: atque id vel eo ipso testetur quòd vt à Roma Romanus, sic à Capua dicere nolit Capuanus. Alioqui non minus sed magis etiam videri mirum possit quòd à Parma, quamuis desinente in eandem syllabam in quam Roma, ideóque maiorem etiam similitudinem cum voce Roma præ se ferente, quàm Capua præ se ferat, tamen non Parmanus, vt Romanus, sed Parmensis dicatur. Sed de illa tamen mea loci illius emendatione qui in extrema pagina 128 legitur, aliorum esto iudicium: hoc saltem fatendum cuiuis fuerit, loco illi aliquid deesse. nam si aliud non dicatur quàm hoc, *Quare proinde ac simile cœnferri* (nisi potius *cœnferre* scribendum est) *non oportæt*, *ac dicere*, quid sit illud quod vt simile conferendum neget, diuinandum nobis relinquet.

SED cur *analogias* plurimis in locis, non *analogiam*, dicit Varro? & hoc profectò non immeritò quis miretur. Mihi quidem certè mirum videri nõ inficior? Libet autem eorum quos dico locorum aliquos considerandos proponere: sed ex iis vbi quum *analogias* dicat, postea *analogiam*, eadem de re loquens, dicit. Atque incipiam à pagina 92. ibi enim quum scriptum sit

in primo eius verſu, *qui analogias eſſe dicunt*, non multo poſt ſcribitur, *quum analogiam dicere non poſſint*. Sed proximè ſequentibus verbis (vt de hoc obiter moneam) magnus ſubeſt error: de quo alibi dicam. Et pag.96, *quod ſecundum analogias non eſt*. quum paulo pòſt dicatur, *Neque in iis quidem quæ ſæpius quid fieri oſtendunt, ſeruant analogiam*. Sed paucis interiectis *analogias* rurſum dicit: nec multo poſt ad ſingularem numerum redit. Sic pag. 125, *analogias* & paulo poſt *analogiam* habemus. Et pag. 101, *neque anomalia neque analogia eſt repudianda*. & paucis interiectis *analogias* & *analogis* habemus: & tamen continuò poſt *analogia*. Quid igitur de his dicendum eſt locis? ego ſuſpectos eſſe mihi dico: quòd non videam cur ita numerus pluralis ſingulari miſcendus eſſet. Fortaſſe tamen in hoc extremæ paginæ 88 loco, ferri poteſt, *quas appellarunt ἀναλογίας*: quoniam præcedit, *ea uerba ſequi oportere quæ à ſimilibus ſimiliter eſſent declinata*, quaſi huius generis verba ſuam inter ſe, verba illius generis ſuam itidem inter ſe analogiam haberent. Sic & pag.101, *quòd aliud eſt, dicere uerborum analogias: aliud, dicere, uti oportere analogis*. Idémque & de aliis ſimilibus locis iudicandum credidérim. Inter quos hunc paginæ 125 poſuerim, *nam liberius potèſt poeta quàm orator ſequi analogias*. Nam & hîc videri poteſt de pluribus loqui verbis in quorum vnoquoque analogiam ſeruet. Scio alioqui videri cuipiam poſſe prima frontè analogias paſsim ideo dici quòd analogiæ duo genera ſtatuat, pag.107. ſed ſi locum illum con-

sideret, ad ea duo genera minimè respici in iis quos attuli locis, videbit, aliisque similibus. Quòd si ad illa respiceret in plurali, cur ita modò singulari, modò plurali ibidem indifferenter vteretur? Neque verò negauerim vocabulum plurale locum habere & vbi de aliis rebus loquitur, quarum singulæ partes suas analogias habent. vt pag. 117. vbi de signis scribit, *Nam ut signa quæ non habent caput, aut aliquam aliam partem, nihilominus in reliquis membris eorum esse possunt analogiæ.* Sic *tricliniorum analogiæ* pag. 103.

## *CAP. XI.*

### *De eo quod scribit Varro, analogiam minus à poetis esse seruatam.*

ANALOGIAM sequi posse liberius poetam quàm oratorem, scribit Varro, in extremo libro octauo. Postquam enim dixit, aliud debere præstare populum, aliud, è populo singulos homines: subiungit, *Neque id mirum est, quum singuli quoque non sint eodem iure. nam liberius potest poeta quàm orator sequi analogias.* Atque hac ipsa iuris appellatione vtitur in alio eiusdem libri loco, oratorũ & poetarum idem ius esse negãs. Ac non vno in loco, sed in plerisque, ita de poetis Latinis loquitur tanquam mira ac propè incredibilis eorum sit licentia, & quidẽ tanquam peculiarem sibi Latinitatem quãdam habeant. Sic pag. 102, vbi dixit populum vniuersum debere in omnibus verbis vti analogia, &, si perperam est consuetus (nisi fortè scripsit, *perperam*

*loqui eſt cõſuetus*) corrigere ſe ipſe: addit, *quum orator non debeat in omnibus uti: quod ſine offenſione non poteſt fiĕre, quum poetæ tranſilire lineas impunè poſſint.* Et pagina 104, *Conſuetudo loquendi eſt in motu. itaque fieri ſolet ex meliore deterior. Meliora uerba perperam dicta apud antiquos aliquos, propter poetas non modò nunc dicuntur rectè, ſed etiam quæ ratione dicta ſunt tum, nunc perperam dicuntur.* Cui loco magnum videri mihi ſubeſſe mendum, alibi oſtendam. Cæterùm poetica vocabula ab aliis ſeparans, ſcribit initio libri quarti, *In his ad te ſcribam, à quibus rebus uocabula impoſita ſint in linguã Latinã: & eã quæ ſunt in cõſuetudine apud poetas.* Sed apertius etiam ea ſeparat à ſolutæ orationis vocabulis in calce libri quinti: itidémque in principio ſexti, *In hoc dicam* (inquit) *de poeticis uocabulis, & eorum originibus.*

VERVM vt ad eam reuertar licentiam, vel ſaltem libertatem (nam voce *liberius* vtitur) qua poetas vti ait in ſequendis analogiis, fortaſſe non minus verè addere potuit, *uel non ſequendis.* Nam vel ij quibus vtuntur metaplaſmi, quid aliud ſunt quàm defectiones (vt ita loquar) ab analogia? Atque hîc eius meminiſſe loci oportet quem paulo ante ex eo attuli: in quo docet, poetas multum poſſe vt verba melius aut deterius dicantur. Hunc autem claudam locum quodam eius dicto, ex libro quarto, *quum poeticis multis uerbis magis delectet quàm utar, antiquis magis utar quàm delectet.*

QVID autem *analogiam uniuerſam* appellet Varro, aliquot locorum collatio poſſe indicare videtur. Scribit igitur pag. 102, ſe dicturum pro

vniuersa analogia, cur non modò videatur esse reprehendenda (nisi altera lectio melior est, *non reprehendenda*: contra eos qui *non modò* pro *non modo non* sumi putant) sed etiam cur in vsu quodammodo sequenda. Dixerat autem pag. 89, *prius contra uniuersam analogiam, tum de singulis partibus à natura sermonis inapiam.* Vbi potius legendum censeo, *tum de singulis partibus: & à nat. serm. inapiam.* Cæterùm eadem de re loquens libro octauo *uniuersalem causam* appellat: ei *partes singulas* velut opponens. Postquam enim dixit, esse satis à se dictum, quod ad vniuersalem pertinet causam, cur similitudo & sit in oratione & debeat obseruari, & quam ad finem quoque: subiungit, *Quare, quod sequitur de partibus singulis*, (ita enim interpungendum censeo) *deinceps expediemus.* Quinetiam addit, *ac singula crimina quæ dicunt in analogias, soluemus.*

SED quid hoc est, aliter analogiam vniuersos, aliter singulos sequi debere? nam in extremo libro octauo legimus, FAtendum illud, *quodammodo analogiam sequi nos debere uniuersos, singulos autem, præterquàm in quibus uerbis offensura sit consuetudo communis.* Expositionis autem loco esse videntur posse quæ adiicit, *quòd, ut dixi, aliud debet præstare populus, aliud è populo singuli homines.* Quinetiam addit, id mirum non esse quum singuli quoque non sint eodem iure. Sed apertius id fuerit ex eo eiusdem libri loco, de quo intelligendum puto quod scribit, *ut dixi.* Nam vbi dixit aliam esse populi vniuersi analogiam, aliam singulorum, & non eandem esse apud o-

ratores & poetas: (ſcribendum enim ſuſpicor, *non eadem apud oratores & poetas*) quòd eorum non idem ius: addit, debere itaque populum vniuerſum in omnibus verbis vti analogia: &, ſi perperam eſt conſuetus (niſi legendum eſt, *perperam loqui eſt cõſuetus*) ſe corrigere: & paucis interiectis adiicit, *populus enim in ſua poteſtate, ſinguli in illius*. Atque his adiungit, Ego *populi conſuetudinis non ſum dominus* (omiſſa particula *ut* ante dominus) *at ille meæ eſt*. Atque id exemplo confirmat, vt rationi obtemperare debet gubernator, gubernatori vnuſquiſque in naui, ſic populum debere rationi, nos ſingulos populo. Perinde eſt igitur ac ſi diceret Varro, optandum quidem eſſe vt populus in omnibus verbis analogia vtatur, ac, ſi ſe perperam loqui animaduertat, ſe corrigat: verùm dum populus, cuius appellatio vniuerſos repræſentat, id non facit, non debere ſingulos id iuris ſibi tribuere. Sic autem *vniuerſi* de populo videtur intelligendum pag. 128, Naturam dico, quum vniuerſi acceptum nomen ab eo qui imponit non requirimus quemadmodum velit (nam voculam *id* puto eſſe ſuperuacaneam) declinari, ſed ipſi declinamus.

## CAP. XII.

*An Varro Analogiã & Anomaliã ita defendere voluerit, vt litem ſub iudice relinqueret.*

QVAE-

QVAERAT aliquis, quum Varro Analogiam & impugnarit & propugnarit, an ita hoc fecerit vt ambiguum reliquerit, eámne, an Anomaliam, vicissè causam dicendum esset. Nec verò nullam dubitandi materiam præbuisse videri potest. Vt enim multa pro Analogia, sic multa pro Anomalia eum afferre videmus. Sed quamuis neutrum se quodammodo seruare videri queat, tamen ex quibusdam locis posse colligi existimo, eum ab Analogiæ partibus stetisse. Sic autem & in tractanda etymologice eum se gessisse, cùm alij loci ostendunt, tum verò hic, quem in calce libri sexti habemus, *In illis libris qui antè sunt, in primo uolumine est, quæ dicantur cur etymologiæ neque sit neque ea utilis sit: in secundo, quæ sit, & cur ea sit, & in illis sit: in tertio, quæ forma etymologiæ.* Neque tamen dubium est quin illis potius assensus sit qui locum ei in Latino sermone dabant. Verùm, vt de hac taceam, & ad Analogiam atque Anomaliam reuertar, vel ea quæ in primo huius libri capite aduersus Anomaliam proposui, vix hoc verisimile nobis relinquunt, tantum virum tam malam causam ita defendendam suscepisse vt eam se victurum speraret. Si tamen ea quæ pro Anomalia dicit cum iis quæ pro Analogiæ defensione affert, conferamus, magis strenuam & plenam (vt ita dicam) operam illic quàm hîc nauasse, non abs re, meo quidem iudicio, dicetur. Quum enim pro paucis quæ ad defendendam Anomaliam afferebat exemplis, multa aut potius quamplurima haberet quæ ad patrocinandum Analogiæ

idonea erant, ac pleraque etiam eorum posset refellere quæ ab Anomaliæ patronis obiiciebantur: potius tamen ieiunam quandam Analogiæ defensionem (in nonnullis præsertim locis) reliquit, & plurimis quibus instrui poterat exemplis, minimè instructam. Quod verè à me dici ostendam quum in rem presentem veniam.

## CAP. XIII.

*Varronem è Græcis mutuatum videri plurima quæ de Analogia scripsit.*

*Analogiam nomine rationis vocantem Varronem, Aristophanis fortasse exemplo id fecere.*

*Loci cuiusdam Varroniani emendatio.*

CAETERVM plurima illorum quæ à Varrone pro Analogia afferuntur, è Græcis, præsertímque ex Aristarcho & Aristophane, sicut eorum quæ aduersus illam, è Cratete & Chrysippo nõ pauca esse petita arbitror. Nam Chrysippum sex libros περὶ τῆς ἀνωμαλίας scripsisse testatur in eo quod peruenit ad nos libri octaui principio. vbi & scribit, Cratetem, nobilem grammaticum, fretum Chrysippo, homine acutissimo, his eius libris contra analogiam atque Aristarchum esse nixum. Ad Aristophanem verò grammaticum quod attinet, eius autoritate niti Varronẽ in hoc ipso libro (pagina quę à princi-

pio tertia eſt) crediderim, vbi tanto Analogiam honore dignatur vt veritatem appellet: Ariſtophanes (inquit) *improbandus, qui potius in quibuſdam ueritatem quàm cõſuetudinẽ ſecutus?* Ac ſtatim poſt *rationis* appellatione illam ſignificat, Ariſtophanis itidem (vt opinor) exemplo, aut Ariſtarchi, vel alicuius aliorum Analogiæ patrocinantium: nec vnius fortaſſe tantummodo, ſed plurium. Verùm is (vt alibi admonui) locus aliter quàm in vlla editione ſcribẽdus eſt. in cũctis enim ita legitur, *Quid ſi uri ſapientiſſ. & in re mil. & in aliis rebus multis cõtra ueterem cõſuet. quum eſſent uſi, laudati: deſpiciendi ſunt qui potiorem dicunt oportere eſſe conſ. ratione?* Atqui hũc locum ita ſcribere, eſt Varronis menti apertè repugnare, & pro Analogiæ patrono aduerſarium eius conſtituere: & quidem ita vt interim & aliquid perabſurdum eius ſermo habeat. Nam illa ſimul oſtenditur eſſe reiicienda, ſimul titulo valde inſigni ornatur, quum *ratio* appellatur. *Deſpiciendi ſunt* (inquit) *qui potiorem dicunt oportere eſſe cõſuetudinem ratione?* quæ interrogatio eſt volentis reſponderi minimè eſſe deſpiciendos: quum tamen omnino contrarium ſentiat. Aut igitur deeſſe dicendum eſt *nónne* vel *annon* ante *deſpiciendi ſunt*: aut pronuntiatiuè, nõ interrogatiuè, ſcribendum eſt, *deſpiciendi ſunt qui pot.* &c. Simul autem *Quid ſi* mutandum fuerit in *Quòd ſi*. Verùm magis mihi arridet altera lectio, quæ totum locum nobis talem exhibet, *Quid? ſi uri ſapientiſſ. & in re militari & in aliis rebus, multis contra ueterem cõſuetudinem quum eſſent uſi, laudati:*

*nónne despiciendi sunt qui pot.* &c. Siue autem hanc siue alteram lectionem sequamur, non dubium est quin inter *rebus* & *multis* interpungendum sit. vt dicat esse multa quibus quum essent vsi contra veterem consuetudinem, tamen tantum abest vt inde vituperati, vt etiam laudati fuerint. At si dicamus, *& in re militari & in aliis rebus multis, contra ueterem consuetudinem quum essent usi,* participio *usi* suus auferendi casus deerit.

## CAP. XIIII.

*Varronem cùm alia è Græcis scriptoribus, tum nonnullas earum comparationum quas affert in defendenda Analogiæ causa, è Græcis sumpsisse, mihi fieri verisimile.*

*Emendata quædam eius cùm alibi tum vbi illis comparationibus vtitur.*

*Lampridij etiam locus emendatus.*

*Sexti Philosophi comparatio quædam insignis, quæ Varronianis aptè adiicietur.*

FIT porro mihi & istud verisimile, Varronem cùm alia ex aliquo eorum quos nominauit Græcorum, aut ex alio eorundem quopiam mutuatum esse, tum verò earum comparationum nonnullas quibus in defendenda Analogiæ causa vtitur. Extat verò & apud Sextum philosophum quædam insignis, qua ostendit non de-

bere mirum videri ſi τὸ πᾶς πλοῖς ὀνόμασι συμβεβηκὸς, non idem ſemper πᾶσι πᾶς ὁμοειδέσι συμβέβηκε. Verùm, antequam iſtam alteram, de illis Varronianis loqui pergens, de hoc lectorem commonefaciam, ne in illis quidem comparationibus lectioni earum quæ in manibus nobis verſantur editionum vſquequaque eſſe fidendum. Nam (vt à pagina 104 initium ſumam) comparans conſuetudinem cum iis quæ ſunt in motu, addit, *itaque ſolet fieri ex meliore deterior.* vbi deeſſe contendo quæ viciſsim de ea dixit: iſta videlicet, *& ex deteriore melior.* Ita enim ſcriptum ibi eſt, *Conſuetudo loquendi eſt in motu. itaque ſolet fieri ex meliore deterior. Meliora uerba, perperam dicta apud ant.* &c. Atqui cur potius diceret, ex meliore deteriorem quàm viciſsim ex deteriore meliorem fieri? vel ea certè quæ ſubiungit, id nos credere haud permittunt: ſed hoc etiam perſuadent, priore loco mutationis in melius mentionem feciſſe: hoc modo, *itaque ſolet fieri ex deteriore melior, & ex meliore deterior.* Nam mutationis in melius exemplum habemus in iis quæ ſtatim ſubiungit, *Meliora uerba perperam dicta apud antiquos aliquos, propter poetas non modò nunc dicuntur rectè:* at verò exemplum mutationis in deterius ſuppeditant quæ proximè ſequuntur, *ſed etiam quæ ratione dicta ſunt tum, nunc perperam dicuntur.* Adde quòd, antequam diceret conſuetudinem eſſe in motu, dixerat, *propter eos* (poetas videlicet) *quædam uerba in declinatione melius, quædam deterius dicuntur.* Fortaſſe autem pro illis *quæ ratione dicta*, malit quiſpiam, *quæ cum ratione dicta*,

vt paulo antè dictum fuit, *à minus commodis uerbis ad ea quæ sunt cum ratione modicè traducere*: ferri tamen posse lectionem illam existimo.

SED in iis item quæ continuò adduntur, quædam mendosa sunt: & horum mendorum vnum saltem facilè sublaturus mihi videor, si *eo* mutem in *ea*: vbi legitur, *in eo enim quoque est analogia*. nam de recta consuetudine dici hoc manifestum est, in qua etiam esse analogiam fatendum est. In iis quæ proximè subiunguntur, *si ad eam inuitent*, malim *sin*: sed non dubium est quin & in proximè sequentibus aliqua emendatione opus sit: quam ab alio quopiam exspectabo: de hoc interim contentus monuisse, malle me hæc verba, *in cæteris rebus*, ante *quoque* poni: hoc modo, *nam ea* (mala videlicet exempla) *in cæteris rebus quoque, quum aliqua uis urget, sequitur*.

IN hoc autem qui paruo interuallo sequitur loco, *qui amissa modò quærant*, illis exemplaribus assentior in quibus *non modò* scriptum est. Sed aliquam multo maiorem deprauationem sub hoc toto latere loco suspicor, ex aliquot nimirum vocabulis, quæ inter *populi* & *qui amissa* fuerint à librario omissa. Varronem enim puto, comparatione vtentem, ostendisse hominum in quærendis aliis quæ amiserint diligentiam, at in iis quæ sermoni deperierint quærendis negligentiam.

Etiam in iis quę pagina sequente, in vna illarum comparationum, legimus, error quidam est, crassior, meo quidem iudicio, quàm vt tot

lectorum oculos tanto fallere tempore debuerit. Is est in voce *capidarum*: vbi scriptum est, *nónne inusitatis formis uasorum recentibus à* Græcia (nisi è Græcia rectius scribitur) *adlatis, obliteratæ antiquæ consuetudinis sinorum & capidarum species?* Miror certè, vocem hanc *capidarum* tot lectorum aures non offendisse: aut, siqui sint quorum aures offenderit, illis in mentem non veniisse, *capidum* substitui debere. Nimium enim insolens, & planè à Varrone Latini sermonis velut censore, alienus metaplasmus esset, si *capida* ex *capis* fieret. Hoc autē vocabulum *capis* non dubito quin à Græco κάπη ortum habuerit: quod Hesychius fuisse vas duarum cotylarum capax scribit. Facit verò eius mentionem inter mensuras & Pollux, Xenophontem citans, sed non addens quantum capiat. Quoniam verò in meo Thesauro ipsius Xenophontis locum non protuli, eum hîc proferam, vbi duorum chœnicum Atticorum esse capacem scribit: Anabaseως I, ἡ δὲ κάπη δύο χοίνικας Ἀττικοὺς ἐχώρει. quum paulo antè dixisset, πλὴν κάπην ἀλφίτων ἢ ἀλφίτου.

Multo tamen, maior & periculosior mutatio vocabulo illi *capis*, siue *capides*, contigit apud Lampridium. Periculosiorem autem mutationem dico, quòd quum maior esset, sub ea facilius vera latere scriptura poterat: vt certè nemo per tot annos (quod sciam) latentem sub vulgo recepta errorem detexit. Locus ille est in Heliogabalo, Exhibuit & palatinis ingentes dapes extis illorum refertas, & cerebellis phœnicopterum, & perdicum ouis, & cerebellis turdorum, & capitibus

*psittacorum & phasianorum & pauonum.* Ita enim in Frobenij editione, quæ anno 1546 prodiit, totus hic locus legitur: at quædam rectè *mullorum* pro *illorum* nobis exhibent (quàm verò hoc Thyesteam potius quàm Heliogabalicam cœnam referebat, palatinis ingentes dapes extis illorum plenas exhibere!) & *phœnicopterorum*. verùm in omnibus *dapes* legitur, nemine ne in ea quidem quæ nouissimè exiit editione, contradicente. Ego tamen hanc posse ferri scripturam nego & pernego, ac in *capides* mutandum contendo: & contendam, tantisper dum quispiam nouum vocabuli *dapes* vsum mihi ostendat, quo & de quodam vasorum genere dicatur.

Verùm hic Lampridij locus quum à me tanquam exoticum quiddam interiectus sit (quamuis alioqui cum eo de quo agebatur conueniens) ad Varronem me iam reuerti, lectorem moneo, & quidem in ea quæ proximè apud eum sequuntur, inquirere. Dico igitur, vbi legimus, *his formis uocabulorum uti nollent quæ docuerit ratio, propter consuetudinem ueterem?* scribendum esse *nolent*, in futuro: & *quæ* in *quas* mutandum. Sed maius aliquod mendum sub hoc loco latere, & planè contaminatam scripturam in illo *contaminati* videri: quinetiam distinguendum esse post *docuerit ratio*, quum hæc quæ subiunguntur, *propter consuetudinem ueterem*, cò non pertineant, sed intelligendum sit, Itáne propter consuetudinem veterem (quasi diceret, illa veteri consuetudine fascinati) illis vocabulorum

formis vti nolent quas docuerit ratio? At verò in ſequente periodo ex *uolunt* faciendum puto *uolent*, & pro his, *aures expertes ueliut eſſe?* inſerta voce *nouitatis*, ſcribèndum eſſe, *aures expertes nouitatis uelint eſſe?* vel, *aures nouitatis expertes uelint eſſe?*

Tempus eſt illam Sexti comparationem Varronianis adiicere. Id certè eo faciam libentius, quòd, quum pro conſuetudine aduerſum analogiam afferatur, tamen poſſe pro analogia in conſuetudinem non minus retorqueri perſpicio. Poſtquam igitur dixit Sextus, Neceſſe *non eſt ut quod multis uocabulis uſuuenit, idem omnibus quæ uniformia ſunt uſuueniat.* ſiue, *multis uoc. quæ eiuſdem formæ ſunt uſuueniat* (eius verba ſunt, οὐ παίτως τὸ τῖς πολλοῖς ὀνόμασι συμβεβηκὸς, τοῦτο ἐξ ἀνάγκης ϗ πᾶσι τοῖς ὁμοειδέσι συμβέβηκεν) addit, Sed *quemadmodum in aliis rebus multis natura fert nonnulla quæ quandam ſibi peculiarem formam habent: ueluti inter ſerpentes quidem, qui alioqui ſunt infiniti, ſerpentem tantummodo unum cornigerum, qui κεράστης uocatur: inter quadrupedes, ſolum elephantem qui proboſcidem habeat: inter piſces, ſolum eum cui nomen eſt γαλεὸς,* (muſtellũ Latinè dici quidam putant) *uiuiparum: inter lapides eum tantummodo qui magnes appellatur, ui attrahendi ferri præditum: ita rationi conſentaneum eſt, inter multa uocabula quæ eiuſdem terminationis ſint, aliquod eſſe quod non eodem quo cætera modo declinetur.* Atque hanc comparationem, ſiue hęc exempla, ad id quod dixi accommodans, addit, *Vnde ſuperſedentes quærere an cæteris illis pleriſque ſit analogum, conſidere-*

*mus quomodo conſuetudo eo utatur, utrum ſeruans ei analogiam cum illis, an peculiarem ei formam tribuens.* Sed quoniam nondum editus eſt hic ſcriptor lingua ſua loquens, ſed tantùm quædam eius parum fide digna interpretatio, gratam me pleriſque lectoribus facturũ rẽ putaui, ſi Græca eius verba ſubiungerem. Ita igitur ille, Ἀλλ' ὃν πρόπον ἐν πολλοῖς καὶ ἄλλοις φέρει πνὰ κῆ μονοείδειαν ἡ φύσις· οἷον, ἐν ὄφεσι μὼν, ἀπείροις οὖσι, τὴν κεφαλὴν πεφασφόρον, ἐν πτεράποσι δὲ τὸν ἐλέφανθα προβοσκίδι κεχρημένον, ἐν ἰχθύσι δὲ τὸν χαλεὸν ζωοτόκον, ἐν λίθοις ἢ τὸν μαγνῆτα σιδηροφορόν· οὕτως ὄὖλογόν ἐστι καὶ ἐν πολλοῖς ὁμοιοπτώτοις ὀνόμασιν εἶναί τι ὄνομα, ὃ μὴ ὁμοίως τοῖς πολλοῖς ὀνόμασι κλίνεται. Atque his addit illa quæ pro conſuetudine facere dixi, ὅταν παρέντες ζητεῖν εἰ αἰάλογόν ἐστι τοῖς πολλοῖς, σκοπῶμεν πῶς αὐτῷ χρῆται ἡ συνήθεια, πότερον αἰάλογον ἐκείνοις, ἢ κῆ ἴδιον τύπον. Verùm quid obſtat quin & illi qui analogiæ patrocinantur, illis exemplis pro ſe vtantur? Siquis enim obiiciat, eam non ſemper ſeruari, ſed vocabula nonnulla in aliam quàm poſcat ea formam inflecti, id non debere mirum videri reſpondebunt, quum & in natura ipſa ea quæ commemorata ſunt cernamus.

## CAP. XV.

*Inter alios etiam Græcos quàm eos quorum facta fuit mentio, multas de Analogia disceptationes fuisse.*

*Apud Sextum philosophum opponi itidem analogiæ συνήθειαν: nec solùm ἀναλογίαν sed & τέχνην ἀναλογικὴν ab eo dici.*

*Etiam συνηθείας ab eo dici, necnon συνήθειαν simpliciter, eam opponendo Analogiæ.*

*A Varrone Analogiam nomine etiam rationis honestari.*

*Quædam in Varrone emendata: cum admonitione lectoris de locis ob negantem particulam depravatis.*

CAESAREM tanto Latinitatem dignatum esse honore vt libros de eius analogia scripserit, minus mirum mihi videtur, quum & apud Græcos quidam celebres itidem viri (aliunde tamen quàm Cæsar suam celebritatẽ adepti) de Græci sermonis analogia iam scripsissent, & quidem plerique etiam præter eos quorum à me ex Varrone in capite proximè præcedenti facta fuit mentio: & quum alij postea, non minus fortasse pauci, de ea scripserint. Habemus autem & apud Sextum philosophum multa in vtranque disputata partem de analo-

gia, & quidem aduerſus eam plura, dum ſe non ſatis neutrum ſeruat, & non ſatis ἀμφοπεί ζει, ſiue ἐπαμφοπεί ζει: vt alioqui ſceptícæ hominem ſectæ decebat. Non ἀναλογίας autem tantummodo ſed ἀναλογικῆς etiam πέχνης fit ab eo mentio: eíque ἡ σωνήθια opponitur, vt à Varrone conſuetudo analogiæ. Veluti vbi ſcribit, ὡμολόγηται ὅπη μὲν ἀναλογικὴ πέχνη ὄνομα κενον ὅτι πρὸς τὸ μὴ βαρβαρίζειν ἢ σολοικίζειν, δεῖ δὲ τῷ σωνήθειαν παρατηρεῖν, καὶ ἀκολούθως αὐτῇ διαλέγεσθαι. Sed in alio qui hunc præcedit loco, vbi itidem illa, ſicut alibi paſsim, opponuntur, ἀναλογίᾳ & ἀναλογικὴν πέχνην indifferenter dicit. Poſtquam enim ſcripſit, πῶπο δὲ λέγοντες, δώσουσι τὸ τῇ σωνηθείᾳ δεῖν ὡς χειμείῳ προσέχειν, ἀλλὰ μὴ τῇ ἀναλογίᾳ, ſubiungit, ne vno quidem verbo interiecto, hanc rationem, εἰ γὰρ, ὅτι ἐν τῇ σωνηθείᾳ λέγεται κτᾶσθαι, ῥᾴον καὶ χρᾶσθαι, ὀφείλομεν, παρόντες τῷ ἀναλογικὴν πέχνην ὅτι τῷ σωνήθειαν ἀναδραμεῖν. Sed alibi paſsim ἀναλογίαν potius dicit, opponens illi τῷ σωνήθειαν. vt hoc in loco qui paruo illum interuallo præcedit, ἀναγκαθήσονται χρῆσθαι μὲν τῇ σωνηθείᾳ, προσπίπτειν δὲ τῷ ἀναλογίαν. Alicubi verò non ſimpliciter σωνήθειαν ſed τῷ κοινῷ σωνήθειαν vocat: quemadmodum Varro aliquot locis ad *conſuetudinem* adiicit *communem*. Eſt etiam vbi πάντων addit: veluti vbi ſcribit, λείπεται οὖν τῇ πάντων σωνηθείᾳ προσέχειν. Nec verò quum προσπήρησις analogiæ opponitur, ad aliud quàm ad σωνήθειαν reſpicere exiſtimandus eſt. perinde eſt enim acſi προσπήρησις τῆς σωνηθείας, vel τῆς κοινῆς σωνηθείας, diceretur: ſicut in eadem pagina legimus, τῷ προσπήρησιν τῆς κοινῆς σωνηθείας χρη-

σημβύειν πρὸς τὸ ἐλλιπίζειν. Sed hic quodam in loco poſt προπρήσεως adiicit τῶ πῶς οἱ πολλοὶ λαλεγοντα. Neque tamen conſuetudini (quam & conſuetudinem loquendi vocat alicubi Varro) tam malè cum analogia conuenit, vt opponi debeant. Vnde fit vt Varro quum analogiam appellatione *rationis* alicubi ſignificet (ſicut & *rationem analogiæ* nonnunquam dicit, necnon *rationem quæ a ſimilitudine oritur*) tamen nihil minus quàm à conſuetudine iubeat nos diſcedere. Nam libro octauo eos errare ſcribit qui aiunt, eum qui bene loqui velit, conſuetudinem, non rationem ſimilitudinum ſequi oportere: quòd alterum ſi negligat, ſine offenſione facere non poſsit: alterum ſi ſequatur, ſine reprehenſione ſit futurum. & ſubiungit cur eos errare dicat, quòd qui in loquendo conſuetudinem ſequitur, à ratione non recedat. Sed corrupta eſt in typographicis editionibus, (nec dubito quin & in multis vetuſtis exemplaribus) huius loci ſcriptura. ita enim ibi ſcriptum eum habemus, *quòd qui in loquendo conſuetudinem qua oportet uti, ſequitur, non ſine ea ratione*. Atqui ex quatuor poſtremis verbis quis, niſi ſuſpicione tenus, elici ſenſus poteſt? Ego igitur ita ſcriptum à Varrone fuiſſe crediderim, *non abſit à ratione*. Nihil enim quod vulgaris lectionis veſtigiis magis inſiſtat, in mentem nunc venit. Verùm & in altero proximè præcedentium membrorum peccatum eſſe, neminem inficiaturum puto: ac in poſteriore negantem particulam detractam ſua ſede, in aliam me autore libenter tranſlaturum.

Quale enim hoc fuerit? eos damnare qui è duobus hîc propoſitis vnum, non alterum, ſequantur, & tamen neutrum eos abſque offenſione aut reprehenſione ſequi poſſe, haud negare. Quum ergo ita ſcriptum ſit, *quòd aiunt, qui bene loqui uelit, conſuetudinem, non rationem ſimilitudinum ſequi oportere: quòd alterum ſi negligat, ſine offenſione facere non poſſit: alterum ſi ſequatur, quòd ſine reprehenſione non ſit futurũ*, ego in poſteriore membro detrahendam è ſua ſede particulam negantem cenſeo: vt quẽ dicit, neglectum de neglectu conſuetudinis intelligamus, & ante *ſequatur* collocandam. vt ita legatur hic locus, *alterum ſi non ſequatur, quòd ſine reprehenſione ſit futurum*: & hanc eſſe mentem illorum de quibus loquitur Varro, dicamus, quòd ſi negligat conſuetudinem, fieri nequaquam poſsit vt id abſque offenſione ſit facturus: at ſi negligat illam rationem ſimilitudinum, ac minimè ſequatur, non futurum ſit vt inde in reprehenſionem incurrat. Meminit autem talis offenſionis & alibi: vt paulo antè, *quod ſine reprehenſione non poteſt fieri*. & pag. 104. principio, *quæ ſine offenſione commutari leuiter poſſint*. Ac Sextus quoque huius offenſionis mentionem facit, σφαλῶ nominans. Cæterùm conſuetudini (quemadmodum antè dixi) cum analogia non tam malè conuenit vt eas ſibi par ſit opponere. Nam qui analogiã amat & conſectatur, ſi in ipſam loquendi conſuetudinem incidat quæ iam olim eam conſectata ſit, aut ſaltem rationem eius habuerit: nónne immeritò dicetur in aduerſariam eius quam con-

ſectatur, incidiſſe?

Caput iſtud hîc clauſiſſem, niſi locus modò à me emendatus ſuggeſsiſſet, monendum eſſe lectorem de locis aliis quibus deprauationem attulit illius particulæ negantis prætermiſſio, aut adiectio vbi nihil ea opus erat, aut ſedis illius commutatione. Ac deprauationis huius exempla quamuis iam aliquot oſtenderim in ſuperioribus, tamen duo illis adiicere non pigebit. Ac prius quidem exemplum ſuppeditabit locus ille paginæ 104, ex quo attuli modò verba iſta, *quæ ſine offenſione commutari leuiter poſſint.* Is enim quum ita ſcriptus ſit, *quum ſint in conſuetudine contra rationem alia uerba, ita ut ea facilè tolli poſſint: alia, ut uideantur eſſe fixa, quæ leuiter hærent, ac ſine offenſione commutari poſſint:* quum (inquam) ita ſcriptum hunc locum omnes quas videre contigit editiones (niſi me fallit memoria) habeant, ego negantem voculam priore in parte deſiderari exiſtimo, & ſcribendum, *ita ut ea facilè tolli non poſſint*: ſiue, *ita ut ea non facilè tolli poſſint.* Nec verò contradicerem ei qui & participium *fixa* deeſſe contenderet, vt ſcriberetur, *ita fixa.* quemadmodum ſequitur, *alia, ut uideantur eſſe fixa*, vbi *ut* pro Quanuis accipio. Sed & *poſſint* in *poſſunt* mutandum cenſuerim, quod cum *hærent* conueniat. Nuſquam verò manifeſtior eius eſſe omiſsio poteſt quàm in hoc paginę 102 loco (etiamſi fortaſſe de illa iam monuerim) *cur non modò uideatur eſſe reprehendenda, ſed etiam cur in uſu quodammodo ſequenda.* Quis enim hîc *non reprehendenda* ſcribendum eſſe negauerit? Illi

igitur editioni assentior quæ huic loco istam voculam adiicit.

## CAP. XVI.

*Analogiam, sermonis utriusque velut fundamentum esse.*

*De quibusdam quæ Sextus ad Analogiam oppugnandam, vel potiùs expugnandam, affert.*

*Primum Sexti aduersus Analogiam impetum posse facilè repelli.*

CAESAREM quoque ex iis fuisse qui de analogia scripserint, capite præcedente dixi: (duos autem de ea scriptos ab eo esse libros testatur Suetonius Tranquillus) atque hanc operam illum suo sermoni Latino eo libentius nauasse existimo, quo magis huic periculosam esse labefactationem analogiæ, tanquam fundamenti sui, cernebat. Nec tamen Cæsarem potuisse ita causam analogiæ Latinæ defendere existimo vt non simul & Græcæ defenderet: sed easdem rationes (paucis quibusdam fortasse exceptis) ad Græcæ defensionem potuisse accommodari, mutatis tantummodo exemplis. id est, substitutis exemplis quæ è Græco sermone petita essent, in locum eorum quæ sumpta è Latino forent. Ac Varronem ipsum in iis quæ ex Aristarcho & aliis Græcis mutuatus est, id fecisse per-

perſuaſum habeo. Quum autem de ſermone Græco & Latino hîc loquor, eum intelligo qui certis grammatices regulis & præceptis regitur, non autem tanquam viæ incertus vagatur. Has enim omnes illius regulas, hæc omnia illius præcepta cum analogia corruere neceſſe eſt. Atque id animaduertens Sextus, cui grammaticos non minus acriter quàm acutè ſubtilitérque exagitare propoſitum erat (qualem ſe alibi & in alios qui alias profitentur artes præbet) ſtatim analogiam variis oppugnare rationibus cœpit: quòd nimirum velut iugulum cauſæ petere, id eſſe putaret. Hinc fit vt illa quæ capite præcedente ex eo attuli, illi ſui libri loco mandauerit in quo quæſtionem proponit, an ſit aliqua πέχνη περὶ ἑλληνισμοῦ (ſed potius ſcribendum eſſe conſtat περὶ ἑλληνισμόν) & ita quidem vt nullam eſſe contendat: quum tamen aut ἑλληνίζειν aliquem oporteat, aut certè βαρβαρίζειν & σολοικίζειν. Verùm quorſum hæc de Græco ſermone? (dicet quiſpiam) quum de eo minimè agatur? Sed reſpondeo, eum ipſum idem & περὶ τῦ λατινίζειν fuiſſe dicturum: quum Græca lingua non habeat quæ ſuam analogiam apertius teſtentur quàm Latina quæ ſuam. Cæterùm quamuis ſimpliciter analogiam paſsim dicat, tamen in illius capitis principio vbi quæſtionem illam tractat, grammaticam analogiam dicit: ſicut & aliquanto pòſt ſcribit, grammaticos polliceri ſe artem quandam tradituros quam vocant ἀναλογίαν. vbi ſcripſerim potius ἀναλογικὴν: ſicut & in aliis quibuſdam eius locis ἀναλογικὴν πέχνην legimus.

Sed quo magis hanc grammaticam analogiam (vt ipſe vocat) odioſam reddat, omnino à communi eam conſuetudine ſeparat. Helleniſmi enim duo eſſe genera ſcribit: & vnum quidem à communi eſſe conſuetudine remotum, ac videri ex grammatica analogia pendere: alterum verò ſequi vniuſcuiuſque Græcorum conſuetudinem, ex paraplaſmo (qua de voce dicam poſtea) & obſeruatione ſermonis familiaris inductum. Atque his iſtud exemplum ſubiungit: Is quidem qui à recto caſu Ζεὺς obliquos format τοῦ Ζεὸς, τῷ Ζεῖ, τὸν Ζέα, ſecundum priorem helleniſmi characterē (hac enim ipſa vtitur voce) loquitur: at qui ſimplicitatem quandam vulgi ſequens dicit τοῦ Ζηνὸς, & τῷ Ζηνὶ, & τὸν Ζῆνα, loquitur ſecundum poſteriorem & magis nobis conſuetum. Atque his adiicit, Sed quum duo ſint helleniſmi, vtilem quidem eſſe dicimus hunc poſteriorem, iis de cauſis quę dictę ſunt: at priorem, eſſe inutilem, ob eas quæ dicentur. Comparatione deinde valde apta vtens, ſubiungit, Quemadmodum enim quum vrbs aliqua ſuum numiſma habet, qui eo vtitur poteſt abſque vllo obſtaculo quæ vult commercia in ea vrbe exercere: at qui hoc non probat, ſed aliud ſibi nouum cudit, ac eo tanquam legitimo vti vult ſibi licere, fatuus eſt: ita qui ſermone quem conſuetudo recepit, quemadmodum numiſmate, vti recuſat, & alium ſibi fabricat, ab inſania non longè abeſt. Ideóque quum grammatici pollicentur ſe artem quandam traditurōs quæ analogia vocatur, per quam nos iuxta illum helle-

niſmum loqui cogent: oſtendendum eſt artem hanc non poſſe conſiſtere. (vel, in rerum natura eſſe non poſſe. dicit enim, eſſe aſyſtaton) oportétque illos qui rectè loqui volunt, obſeruare ſermonem arte carentem & ſimplicem, quo vulgus vti conſueuit, cúmque ſibi ſequendum proponere. Hæc Sextus: quem quis non immeritò miretur, aliquid initio propoſuiſſe quod negari ab analogiæ patrono, at probari ab illo non poſsit. Nam quod ſcribit, eos qui ſermone analogiam ſequente vtuntur, à ζεὺς dicere Ζεός, Ζεῖ, Ζέα, quis non ei ſtatim negabit ac pernegabit? Et tamen in alio etiam loco idem ſcribit, ſimúlque alia non minus falſa: videlicet, analogiam ſequendo dici κώωνος, & κώωνι, & κώωνα: aut certè pro nominandi caſu dici κῶς, ſi pro gignendi caſu admittatur κωώς. Quin etiam φερήσω & βλεπήσω eandem ſequi volentibus in vſu eſſe, ſicut ποιήσω & θελήσω. Eodémque in loco ſcribit, quum ex iis qui analogiæ inſiſtendum eſſe contendunt quæritur vtrum dicendum ſit, an χρῆσθαι, an χρᾶσθαι: eos reſpondere dicendum eſſe χρᾶσθαι: & quum petitur ab iis vt eius rei fidem faciant, allegare χρῆσις & κτῆσις, quæ ſint analoga. quemadmodum ergo κτᾶσθαι quidem dicitur, at non κτῆσθαι, ita χρᾶσθαι dictum iri, non χρῆσθαι. Sed nequaquam debuit Sextus, propter quoſdam qui illo χρᾶσθαι vtendum cenſuerint (neque enim, quoſdam eo maluiſſe vti, mihi non fit veriſimile, quum & in aliquibus Plutarchi locis exſtet, & Lucianus pſeudatticum eſſe ſcribat: nullam eius mentionem facturus, ſi nul-

lo in vſu fuiſſet) etiam illorum quæ tam inſolentia ſunt vſum iiſdem analogiæ defenſoribus affingere. Verùm arbitror Sextum, iocari tantùm volentem, & Ζεὸς & κώων ος, cæterósque vtriuſque obliquos caſus in medium attuliſſe: perinde acſi oſtendere vellet, illos analogiæ patronos & analogicam artem profitentes, tandem eò dementiæ (ſuperſtitioſa autem quædam dementia hæc eſſet: ſi tamen ita vocari deberet quę à ſuperſtitione profecta foret) deuenturos, vt illis etiam aliiſque ſimilibus, vterentur.

Venio ad vocabulum *paraplaſmum*, de quo me dicturum promiſi, quum ipſum ex illo Sexti loco attuli qui legitur initio capitis quo diſputat an aliqua ſit ars circa helleniſmum. Duos enim eſſe helleniſmos dicit: vnum quidem, à conſuetudine loquendi remotum, ſeu diſcrepantem, & qui è grammatica analogia pendere videatur: alterum, vniuſcuiuſque Græcorum conſuetudinem ſequi, è paraplaſmo & obſeruatione ſermonis familiaris inductum. Quum autem nomen Ζεὺς in exemplum afferat, & priori quidem helleniſmo hos obliquos caſus aſsignet, Ζεὸς, Ζεΐ, Ζέα, at poſteriori, Ζηνὸς, Ζηνὶ, Ζῆνα, non dubium eſt quin *paraplaſmum* appellet quod potius *metaplaſmum* grammatici vocarent. Dicitur tamen ab iis metaplaſmus eſſe quum caſuum obliquorum terminatio non reſpondet ἀναλόγῳς terminationi recti, ſed aliam formam accipit quàm quæ ei eſt conſona. vt quum in dandi caſu dicitur κλαῦθι pro κλαύσῳ, à recto κλαύσ-θος: quum ἀλκὶ pro ἀλκῇ, ab ἀλκή: quum ὑφῇ, pro

ὑσμίνη, à recto ὑσμίνη: at verò Sextus paraplasmum hîc dicit de obliquis voces habentibus non terminatione tenus sed omnino à suo recto discrepantes. vt quum à Ζεύς, pro Ζεὸς, Ζεῖ, Ζέα, dicitur Ζῆος, Ζῆι, Ζῆα, tanquam à recto Ζῆ. Cæterùm gaudere poetas eo quod grammatici metaplasmum vocant, docui & pagina 46: vbi metaplasmos esse dico defectiones ab analogia.

## CAP. XVII.

*Sextum variis argumentis Analogiam oppugnare.*

*De philosophico vocabulo κεντήριον.*

*Emendati aliquot loci Sexti.*

SEXTVS idem aliis multis analogiam machinis quatit: à quibus illi aliquid periculi esse videretur, siquid ei periculi ab vlla esse concederemus. Ac in earum fortasse numero poni hęc ἔνστασις queat, vbi disputat aduersus eos qui χεᾶσθαι dici volentes, non χρῆσθαι, in exemplum afferunt κπᾶσθαι (vt antè docui) & sicut χρῆσις ac κπῆσις dicuntur ἀναλόγως, ita etiam verbo χρῆσθαι minimè vtendum censent, nihilo magis quàm verbo κπῆσθαι (vt certè nec in vsu esse id videmus) sed vt κπᾶσθαι passim receptum est, ita dicendum & χεᾶσθαι. Addit enim, *At si quis eos interroget*, Hoc *ueròipsum* κπᾶσθαι *unde nostis rectè dici? quum ex eo* & χεᾶσθαι *dici rectè, ostendatis? respondebunt*, Ex eo

*quod in consuetudine dicatur.* At *hoc respondentes, concedent oportere consuetudini, tanquam criterio, fidem habere, non autem analogiæ. Si enim, quia in consuetudine dicitur* κτᾶσθαι, *dicendum* & χρᾶσθαι, *debemus, missam facientes analogiam artem, ad consuetudinem recurrere.* Itidémque in alio qui hunc præcedit loco consuetudinem appellat κειτήριον. quę vox hunc apud scriptorem & alibi frequenter occurrit, sonátque quasi quis iudicatorium dicat, iudicandi organum significare volens, siue instrumentum. Frequens autem vel potius frequentissimus est huius vocabuli vsus apud eundem in opusculo Pyrrhoniarum hypotypoσεων, quod à me multos ante annos Latinè redditum fuit. Triplex autem ab eo constituitur: primum, πὸ ὑφ' οὗ: secundum, πὸ δι' οὗ: tertium, πὸ καθ' ὅ. Quòd si quis κειτήριον interpretetur cum Budæo sensum & partem animi rerum æstimatricem & arbitram, consuetudinem eo nomine appellare, rationi consentaneum haud fuerit.

Quinetiam hoc dilemmate vtitur Sextus, *Analogia aut consentiens est consuetudini, aut ab hac dissentit. Si quidem consentit, primùm, ut consuetudo non est artificialis, ita nec illa erit (quod enim consentit cum eo quod inartificiale est, ipsum quoque est inartificiale)* Deinde, *quod secundum consuetudinem erit* ἑλληνικὸν (id est, Græci sermonis puritatem habebit) *secundum illam quoque* ἑλληνικὸν *erit. Quòd si hoc ita se habet, analogia minimè opus erit ad dignoscenda ab aliis ea quæ erunt* ἑλληνικά: *quum nobis id præstet consuetudo.* Alteram autem ad partem dilemmatis veniens, dicit, At *si analogia dissentit*

*à consuetudine, omnino, quum aliam introducat consuetudinem quàmillam & uelut barbaram, digna hauderit quæ recipiatur, sed, tanquam offensionem afferens, omnino inutilis.* Ad vocem autem ἑλλωνικὸν quod attinet, ei ἀνελλώϊστον alicubi opponit: & pro eo quod ἑλλωΐζειν passim dicit, vno in loco dicentem audimus, ἑλλωνιστὶ ὑγιῶς διαλέγεσθαι. Ac initio capitis in quo hæc scripta sunt, τῇ περὶ τὰς διαλέκτους καθαρειότητι opponit τὸ βαρβαρίζειν & τὸ σολοικίζειν. Hinc factum est vt τὸ ἑλληνικὸν sic interpretandum censuerim. Sunt & alia apud eum dilemmata: (hoc enim præcipuè argumentorum genere delectatur) aduersus eos qui consuetudinem reiiciunt, & analogiæ tantùm dare locum volunt (perinde enim aduersus eos qui analogiæ patrocinabantur disputat, acsi analogiæ dari locus non posit quin consuetudo excludatur) *Aut recipitis consuetudinem, tanquam fide dignam ad dignoscendum hellenismum, aut reiicitis. Si quidem recipitis, ex hoc ipso colligitur id quod propositum est, ac minimè opus est analogia: at si reijcitis, quoniam analogia ex hac adstruitur, simul & analogiam reijcitis.* Sed in eo quod hîc dicit, *quoniam analogia ex hac adstruitur* (ita enim verto, ὅτι τούτῳ συνίσταται, potius quàm *constituitur*: præsertim quum paulo post eadem de re loquens dicat ἰσχυροποιεῖται) obiiciat illi quispiam, hoc esse συναρπάζειν τὸ ζητούμενον, vt ipse sæpe loquitur. Verùm id ab eo proponitur tanquã iam cõfessum, ex eo quod dictum sit, analogiam esse multarum vocum similium collationem: has autem voces è consuetudine sumi. hinc enim sequi vt

adſtructio analogiæ ex conſuetudine proceda t. His enim illud dilemma ſubiungit quod modò propoſui. Poſtea verò ad abſurdum deducere aduerſarium conatur. *Abſurdum eſt* (inquit) *idem, tanquam fide dignum admittere, & tanquam fide indignum repudiare. Atqui grammatici, dum uolunt conſuetudinem tanquam fide indignam reijcere, & eandem à hanc tanquam fide dignam aſſumere, idem ſimul fide dignum & indignum faciunt.* Deinde oſtendit quomodo dici hoc de grammaticis poſsit. *Vt enim oſtendant* (inquit) *non eſſe loquendum quo loquitur modo conſuetudo, introducunt analogiam: atqui analogia nullo prædita robore eſt niſi id à conſuetudine accipit. Quum ergo per analogiam eijcient conſuetudinem, idem fide dignum ſimul & indignum faciunt.* Atque his ſubiungit quid illi fortaſſe ſint reſponſuri, nimirum à ſe non vnam eandémque conſuetudinem & admitti & reiici, ſed aliam admitti, aliam reiici. Aduerſus quod reſponſum haud illi deeſt quod regerat. Cæterùm, quamuis nondum in lucem prodierit hic ſcriptor ſuo ſermone loquens, lectorem tamen monebo vt ſi quando in Græca eius verba inciderit, duos hîc emendare locos meminerit: vnum quidem, reponendo ἄπισον pro ἄτοπον, ante παραιτεῖσθαι: alterum, ἀναλογίᾳ ſubſtituentes pro συνηθείᾳ, vbi legitur, τῇ ἄρα συνηθείᾳ ἐκβάλλοντες τὴν συνήθειαν. Duo ſunt alia menda eodem illo in loco vbi ἄτοπον pro ἄπισον legitur: quorum mentionem non feci, quòd leuiora & apertiora ſint. videlicet προσίεσθε & παραιτεῖσθε, pro προσίεσθαι & παραιτεῖσθαι.

## CAP. XVIII.

*Analogiæ definitiones quæ à Sexto proponuntur, collatæ cum Varroniana.*

*De iis quæ aduersus eas ab eo afferuntur.*

*Pindario, quidam ex Analogiæ patronis, à Sexto reprehensus.*

ANALOGIAE duas definitiones apud Sextum inuenio: vnam quidem, qua dicitur esse ὁμοίᾳ ἀναλόγισις, vel potius (vbi plenè & ἁπλῶς loquitur) ὁμοίων πολλῶν ὀνομάτων ἀναλόγισις. id est, *similium multorum uocabulorum inter se collatio.* non enim nunc in mentem vllum Latinum vocabulum venit, quo illud ἀναλόγισις mihi videar aptius posse interpretari. Altera autem definitione non similitudinis tantùm sed dissimilitudinis etiam fit mentio. dicitur enim esse ὁμοίου τε καὶ ἀνομοίου θεωρία. id est, *Consideratio eius quod simile est, eiúsque quod dissimile.* Neque enim mihi placet vt θεωρία hîc reddatur *contemplatio:* potiúsque, si ab illa quam attuli interpretatione discedendum sit, *perspicientiam* dixerim: quo Cicero vtitur. Sed quorsum in hac definitione non minus dissimile quàm simile nobis proponitur? In altera certè, nulla dissimilitudinis mentio: sicut nec à Varrone vllam eius fieri mentionem in analogiæ definitione, videmus. Nam in principio libri noni scribit, *quum ab his ratio quæ à similitudine oriretur, uocaretur ana-*

*logia*. Eodémque in libro fundamentum analogiæ esse dicitur similitudo quædam. Fit quidem ab eo dissimilitudinis mentio non minus quàm similitudinis, in illius libri IX principio, sed nequaquam eadem de re loquendo (vt in illa definitione eandem pertinere ad rem videmus) verùm de duabus quæ inter se oppositæ sunt. A multis quæsitum esse (nam pro *quærunt* substituo *quæsierunt*) disciplina loquendi in verborum declinationibus similitudinem an dissimilitudinem sequi deberet: deinde similitudinem quidem ad analogiam refert, at dissimilitudinem, ad anomaliam. Quorsum igitur in illa definitione, quam Pindarioni cuidam tribuit, analogiæ partes esse dicuntur, non minus quod dissimile est quàm quod simile, considerare? In dissimilis mentione ad anomaliam respici existimo: perinde ac si diceretur, considerato eo quod simile est, necnon eo quod dissimile, illud quidem sumendum esse, at verò istud iis quorum aures ab anomalia sermonis non abhorrent, esse relinquendum.

Verùm, ad Varronem vt reuertar, etiamsi similitudinem tantùm dicat, nihil obstat quin nobis verba eius legentibus illud ipsum de dissimilitudine in mentem veniat. Cuiusdam alioqui recordor loci, vbi duo hæc contraria, dissimilia & similia, iungit: sed in eo nequaquam de definitione analogiæ, ac ne de analogia quidem vllo modo, sed de consuetudine agitur. Is est initio libri VIII, *quod est natus ex quadam consuetudine analogia: & ex hac consuetudo, ex*

*dissimilibus & similibus uerbis eorum, quod declinationibus constat.* Verùm quominus satis huius loci sensum assequamur, obstant quæ in eo sunt deprauata. Ex quibus esse suspicor ista λεξείδια ex hac. Nam quomodo (vt alibi dixi) ex consuetudine analogia, vicissimque ex analogia consuetudo nata esse diceretur? Nisi fortè intelligendum sit, analogiam & consuetudinem operas mutuas tradidisse, & partẽ analogiæ ex consuetudine profectã esse: id est, ex iis vocabulis quæ consuetudine recepta iam erant: sed eam progressum habuisse ex cõsideratione aliorum quæ nondũ consuetudo receperat. Verùm aliter loquuturum fuisse Varronem puto: & quominus mentem eius assequamur, obstant (vti dixi) quæ deprauata sunt: ex quibus & illud esse puto, *eorum quod*, ante *declinationibus*. Cæterùm, eum posse dici arbitror magis exactè analogiam quodam in loco definisse quàm in illis duobus Sexti definiatur. Nam in illo libro IX, sicut duo analogiarum genera constituit, ita duas definitiones affert. scribit enim, analogiam non item esse definiendam eam quæ dirigitur ad naturam verborum, atque illam quæ ad vsum loquendi. Priorem enim esse sic definiendam, *Analogia, est uerborum similium declinatio similis.* Posteriorem sic, *Analogia, est uerborum similium declinatio similis, non repugnante consuetudine communi.* Quod autem addit, *non repugnante consuetudine communi*, conuenit cum eo quod sæpe à Sexto obiici antea docui, & quod fatentem ipsum quoque Varronem audimus, vbi

ſcribit, *quòd eſt natus ex quadam conſuetudine analogia*.

Sed enim ad illas quæ à Sexto afferuntur definitiones redire libet, & quæ de illis ab eo dicuntur commemorare. Illam igitur poſtquam propoſuit qua dicitur Analogia eſſe multorum ſimilium vocabulorum inter ſe collatio, at multa hæc nomina (inquit) à conſuetudine petuntur. Vnde fit vt Analogia à conſuetudine adſtruatur. Atque alibi alteram etymologiam poſtquam retulit, qua Analogia dicitur eſſe ὁμοίου καὶ ἀνομοίου θεωρία, at hæc (inquit) ὅμοιον & ἀνόμοιον ex conſuetudine petuntur. ac, pauciſsimis verbis interiectis, *Interrogabimus igitur & nos*, Ex *qua conſuetudine quod eſt ſimile & quod eſt diſſimile accipitis? multæ ſunt enim, & ſæpe inter ſe pugnantes*. Vbi obſeruandum eſt, illum poſſe videri aliter illam vocis ἀνόμοιον adiectionem intelligere quàm à me intelligi dixerim. niſi fortè perinde ſit acſi diciſſet, ἐν τίνι ἄλλῳ ἢ τῷ τῆς συνηθείας λόγῳ τὸ ὅμοιον καὶ τὸ ἀνόμοιον θεωρεῖπ; Verùm in iſto præcipuè loco definitionem illam exagitat quæ ſimilis tantum mentionem facit: vbi poſtquam dixit, operæpretium eſſe illos (intellige autem, analogiæ defenſores) ἀπὸ τῆς κτ' τὸ ὅμοιον μεταβάσεως δυσωπεῖν, ſubiungit, εἴπερ γὰ τῶ ὁμοίω θεωρητικοὶ καθεστήκασιν, &c. *Si ita* (inquit) *ſe res habet*, illos eſſe τῶ ὁμοίω θεωρητικούς (reſpicit enim ad definitionem qua dicitur analogia eſſe τῶ ὁμοίω θεωρία) *quoniam ei quod dicitur Feriri in anticnemium* (id eſt, in eam tibiæ partem quæ anticnemium vocatur) *analogum eſt, Feriri in naſum, & Feriri in uentrem*: pri-

mum autem illud dicitur αἰξικυημιάζειν, nempe dicentur analogicè χασκίζειν etiam & μυκτηρίζειν. Itidémque ἐπὶ τῶν ἱππαζόντων ac καταχρημιζόντων ostendendum. Hæc ille: quasi verò responsuri statim etymologiæ patroni non essent, illam similitudinem cuius in definitione fit mentio, non tam latè extendi. Sed post hæc verba, τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὅτι τῶ ἱππαζεσθαι καὶ καταχρημιζεσθαι ἐπιτοδεκτέον, quiddam ab eo adiectũ fuisse suspicor. Cęterùm ἀνάλογον retinui, vbi scribit, ἐπεὶ πῶς εἰς αἰξικυήμιον τύπτεσθαι ἀνάλογόν ὄζι τὸ εἰς πλῶ ῥῖνα τύπτεσθαι, καὶ τὸ εἰς πλῶ χασκέιν. itidémque pro aduerbio ἀναλόγως dixi analogicè, quòd proportionis appellatione vti his in locis vix auderem (alioqui in priore illo dicturus, *proportione respondens*, & aduerbium ἀναλόγως interpretaturus *proportione seruata*) fortasse tamen non minus Latina vox quàm Græca locum habere hîc posset: quum, si Latinæ abusum hîc futurum esse quis dicat, itidem de Græca dicturus meritò sit, non sine abusu (sicut & non sine risu) positam hîc esse. Nec verò de hoc non monendus es, illud τύπτεσθαι libenter à me vtrobique in τύπτειν mutatum iri, vt αἰξικυημιάζειν (ad cuius analogiam illa duo vult dici) sit εἰς τὸ αἰξικυήμιον τύπτειν, non τύπτεσθαι.

Est autem in hoc Sexti loco & aliud de quo meam siue sententiam siue coniecturam intelligas velim: si quidem mendo carere putandus est hic eius locus, meam sententiam: at si mendosus esse, meam coniecturam. Si enim scripsisse putandus est, εἰς πλῶ ῥῖνα τύπτεσθαι, aut τύπτειν (vt potius scribendum mihi videri dixi) contendo

debuisse sequi, non μυκτηρίζειν, sed ῥινίζειν. Aut, si μυκτηρίζειν scripsisse credendus est, dico debuisse præcedere, εἰς τὸν μυκτῆρα, vel potius εἰς τοὺς μυκτῆρας: non autem, εἰς τὸ ῥῖνα. Sed libentius scripturam hanc εἰς τὸ ῥῖνα, librarij quàm Sexti incogitantiæ adscripserim: à quo librario non id quod Sextus scripserat vocabulum, sed ei synonymum, positum sit. nam ἐκ τῆς ῥινὸς fuisset αἰάλοιον verbum ῥινίζειν: atqui potuisset aliquis analogiæ patronus respondere, nomen ῥίνιον hoc sibi verbum præripuisse. Taceo, verbum αἰθυιμιάζειν, cuius exemplo & cui αἰάλοιος dici vult siue ῥινίζειν, siue μυκτηρίζειν, necnon χασείζειν, videri recentius quàm vt tanta eius autoritas esse debeat. Quòd si & dixero finxisse id aliquem per iocum, id est, terminatione illa iocosè abutentem, puto me quod verisimum est dicturum. Hanc enim terminationem in ίζειν alium vsum vel potius alios vsus iam sibi delegisse in verbis quæ è nominibus fiunt, aliquam corporis partem significantibus, ostendunt cùm alia verba tum verò ὀκταεδρίζειν (pro quo & ὀκταεδριάζειν dicitur, sed ita vt magis priorem illam scripturam probem) & ἐγχειρίζειν (cui addi possunt ἐγχείζειν & μεταχείζειν) necnon ὑποσκελίζειν. Atque ad χασείζειν quod attinet, poterat Sexto opponi ille vsus quem id ex ipsius χασμὸς (vt credibile est) consensu iampridem sibi vindicauit. Sed notandus est interim ille Sexti locus, quum ex eo discamus quomodo verba fingi multa possint, & ita quidem vt analogia in illis vel seruata sit, vel seruata videri possit. Quid verò (exempli

gratia) vetet quominus vt ἀνυθρίζειν dicitur, ita non solùm ἀνηφρίζειν, sed ἀνωνίζειν etiam & ἀμυκτηρίζειν quis dicat? Talia autem in sermone figmenta comicos præsertim decent: sicut & apud Latinos Plautum videmus non dubitasse dicere *denasare* (cui responderet illud ἀνωνίζειν, seu ἀμυκτηρίζειν) cui verbo *denasare* esse ἀνάλογον verbum *decollare* videri possit: (etiamsi non ita auferatur collum vt nasus, certè *decacuminare* (vt alia multa omittam) nemo quin horum vtrique sit ἀνάλογον dubitauerit.

PINDARIO autem, quidam ex analogiæ patronis, videtur à Sexto esse reprehensus, quòd illam ὁμοίων καὶ ἀνομοίων θεωρίαν, quam in analogiæ definitione nobis proponi vidimus, non circa quamuis θεωρίαν, sed circa eam demum quæ esset διδοκιμασμένη, versari vellet. Vt autem magis festiuè exagitare possit Sextus istud διδοκιμασμένη addit ei & ἀρχαιοτάτη: subiungens, διδοκιμασμένη δὲ καὶ ἀρχαιοτάτη ἐστὶν ἡ Ὁμήρου ποίησις. Tandémque pergens χαιρετίζεσθαι (quo enim aptiore vti possim verbo non video) Deinde (inquit) *illam potissimum consuetudinem oportet consectari qua utentes non irridebimur. Atqui sequentes Homericam, non poterimus absque risu* ἐλλωβίζειν: *utpote dicentes* μάρτυροι, & ἀσκέρδα λέλωπται, *atque alia his magis insolentia.*

## CAP. XIX.

*Consuetudinis appellatio, quum de loquendi consuetudine agitur, unde Varro natam Analogiam scribit, quibus sit terminis circumscribenda.*

*De eadem, ex Cicerone: &, an tum loquendi de eadem dicat.*

*De eadem, ex Fabio Quintiliano.*

*De iis quæ Sextus vult in consuetudine loquendi observari.*

*Emendata quædam apud Varronem.*

CONSVETVDO loquendi, certis nisi terminis circumscribatur, meritò à quopiam ἀνώμαλος & ἄτακτος vocabitur, vt quosdam eam appellasse scribit Sextus: víxque tantum honoris mereri videri poterit quanto illam Varro afficit, quum ex ea natam esse Analogiam scribit. Sed quamuis non de quauis consuetudine (id est, inter quosvis siue à quibuslibet recepta) loqui illum existimem, haud tamen assentior iis qui in quodam libri octaui loco, pag. 103, (circa eius initium) illum ad consuetudinem respicere putant inter eos receptam qui inter indoctos censentur. Quum enim hanc esse Varronis mentem existimantes, scribant, *non oportere dici quod sit in consuetudine*, ego contrà, sequenda esse illa exemplaria existimo in quibus scriptum est,

quod

*quod non ſit in conſuetudine*. Poſtquam enim dixit Varro, duo eſſe peccati genera circa declinationes (vel, duo peccati genera declinationum, vt ille loquitur) vnum, quod in conſuetudinem perperam receptum eſt, alterum, quod nondum eſt: ſubiungit, ab aduerſariis vnum quidem concedi, videlicet, non cogi nos id dicere quod nondum in conſuetudinem receptum eſt: ſed non & alterum, vt ne id quidem quod in conſuetudinem receptum eſt, dicere neceſſe habeamus. Atque hanc lectionem cum ſequente comparatione conſentire manifeſtum eſt. Dicit enim, eos qui volunt corrigi quidem id quod nondum in conſuetudinem receptum eſt, at non & id quod in eam ſit receptum, idem facere ac eos qui non concedant corrigi cum puerum qui conſuetudine ambulandi iam factus ſit vacia, ſed eum tantùm qui per delicias malè ponere pedes atque imitari vacias cœperit. Sed quum ita ſcriptus ſit Varronis locus, *unum dant, non oportere dici quod ſit in conſuetudine: alterum non concæditur, quin ita dicatur ut ſit ſimile. quum id faciat ac ſi quis puerorum per delic.* &c. ego eum ita ſcribendum eſſe arbitror, *unum dant, non oportere dicĭ quod non ſit in conſuetudine: alterum non concædunt quin ita dicatur ut ſit ſimile: quum idem faciant acſi quis puerorum per delic.* Libet verò iterum quam eſſe putem Varronis mentem oſtendere. Quum habeant (inquit) declinationes duo peccati genera, vnum quod iam in conſuetudinem venit, alterum autem quod nondum in eam venit: permittunt quidem vt non dicatur à nobis ea de-

clinatio in qua ita peccatur vt tamen nondum consuetudo id peccatum receperit: at si declinatio in qua peccatur, recepta sit in consuetudinem, non cõcedunt nobis vt liceat dicere quod ei consuetudini non sit simile. Fateor tamen suspecta mihi esse verba ista *ut sit simile*, si ita iungantur præcedẽtibus. cur enim vellet dici quod simile sit ei quod à consuetudine dicitur, non autem quod idem cum eo? Quamobrem iungenda potius crediderim hæc verba, *ut sit simile*, cum sequentibus: hoc modo, *ut sit simile* (id est, ita vt sit simile) *quum id faciunt, acsi quis puerorum per delic.* Neque tamen aliquid scrupuli & hanc lectionem afferre nego, propter verbum *faciunt*, quum potius exspectaretur *diaunt*. Sed quidpiam fortasse alicui lectori in mentem veniet quod pro hoc *faciunt* queat substitui, non magna cum mutatione. Reuocat autem mihi in memoriam illud *diaunt*, verbum *diatur*, quod in hoc ipso Varronis loco in *diatur* mutandum fuerit. Atque vt iam ad illud redeam quod excutiendi pro viribus loci huius occasionem prębuit, hinc patere illud saltem existimo, Varronem hîc minimè voluisse, ne in eorum quidem persona de quibus tanquam analogiæ aduersariis loquitur, consuetudinis loquendi mentionem facere alîus ab ea de qua passim agit: cuiusdam videlicet inter illos tantùm qui inter indoctos censentur receptæ.

Sed de quorum igitur consuetudine loquendi Varronem passim verba facere dicemus? an de quorumlibet consuetudine? nequaquam.

Sed nec de ea viciſsim quæ eruditis peculiaris dici queat: verùm quæ aliquam vel ipſius vulgi partem cum eruditis habeat conſentientem. Niſi quis hæc ita malit inuertere, vt dicat, quæ aliquam eruditorum partem conſentienrem cum vulgo habeat. Quid? nihílne in hac eſt reprehenſione dignum? Immo fieri poteſt vt in hac quoque ſint digna reprehenſione nonnulla: ità vt in illis (id eſt, ad illa quod attinet) vocari mala poſsit: quemadmodum Cicero de vocabulo *confidens*, mala conſuetudine loquendi in vitio poni ſcribit, Tuſc. quæſt. lib. III. *Qui fortis eſt* (inquit) *idem eſt fidens. quoniam confidens mala conſuetudine loquendi in uitio ponitur.* Quibus addit, *Ductum uerbum à confidendo: quod laudis eſt. Qui autem eſt fidens, is profectò non extimeſcit. diſcrepat enim à timendo confidere.* Sed quamuis hoc ſcribat Cicero, non Plautum tantummodo, ſed Terentium etiam, necnon Horatium, ita illo vtentes vocabulo audimus vt ab iis poni in vitio, fateri neceſſe ſit. Quid ſi verò ipſum & Ciceronem ita vſum eſſe oſtendam? oſtendere certè haud difficile fuerit. in promptu eſt enim quidam Philippicæ ſeptimæ locus, in quo legimus, *Irritatum Antonium non oportuit. nequam eſt homo ille atque confidens.* Neque tamen Ciceronem ſui oblitum, (i. illius ſuæ de hac voce opinionis) ita loquutum eſſe puto, ſed cõſuetudini quoque ei quam malam exiſtimabat, & in hac voce & in pleriſque aliis locum debere dari cenſuiſſe. Aliquando tamen alio vocabulo dedita eſſe opera vſus videri poteſt, vt hoc abſtineret, & illi malæ con-

ſuetudini relinqueret. vt De officiis libro 1, Panætius quidem Africanum, auditorem & familiarem ſuum, ſolitum ait dicere: vt equos propter crebras contentiones pręliorum ferocitate exſultantes domitoribus tradere ſolent, vt his facilioribus poſsint vti: ſic homines, ſecundis rebus effrenatos, ſibíque præfidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, vt perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatémque fortunæ. Hæc ille. qua autem alia quàm ea quam dixi de cauſa *ſibíque præfidentes* ac non potius cum aliis *ſibíque confidentes* dixiſſet? Non enim illum vocabuli huius vſum damnaſſe temere videtur: quum mirum ſit, ipſum quidem verbum *confidere* in vitio non poni, at *confidens*, quod eſt eius participium, ſiue nomen ex participio (aut, nomen participiale, vt quidam grammatici ſunt loquuti) hunc vſum habere: ac fortaſſe dici etiam poſsit, conſuetudinem hanc, ſicut alias pleraſque, repugnante analogia inualuiſſe. Nam, vt taceam de aliis verbis quibus præpoſitiua particula præfixa eſt, in iis etiam quæ hanc ipſam prefixam habent, non videmus participia talem ſignificationis mutationem accipere, vt malam in partem, contra quàm ipſa verba, dicantur. Nam *confidens* nequaquam à ſuo verbo vſum illum trahere per quem in vitio ponitur, oſtendunt infiniti ſcriptorum Latinorum loci: ſed & is quem initio huius ſermonis è Cicerone attuli, apertè docet, vbi ſcribit, *Qui autem eſt fidens, u profectò non extimeſat. diſcrepat enim à timendo confidere.* Quamuis

enim, vt dixerat *fidens*, ita sequi deberet *fidere*, tamen adeo nullum inter simplex & compositum esse discrimen existimauit vt composito *confidere* vti non dubitauerit. Est autem obseruandum in eo qui paruo hunc interuallo præcedit loco, particula rationali (si hæc grammaticorum vox repudianda non est) ita vti vt cuius rei rationem reddat, non à quouis animaduerti possit. *Qui fortis est* (inquit) *idem est fidens: quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur.* Sed perinde esse puto ac si diceret? *Quare fidens ac non confidens dixi? quoniam confidens mala cons. loq. in u. ponitur.* At cur Cicero hîc quidem non audes contra hanc consuetudinem, licet malam, voce *confidens* vti, alibi ea vti non dubitas? Cogitaret fortasse aliquandiu antequam responsum daret. Cæterùm quamuis de *fidentia* & *confidentia* idem senserit, tamen non illo solùm sed hoc etiam alicubi bonam in partem vtitur. Nec verò dubium est quin *fiducia* magis quàm *fidentia* Latinis vsitatum fuerit: vnde etiam *confidentiam* quidem sæpius in malam, *fiduciam* autem in bonam accipi scribit Donatus, nulla *fidentiæ* facta mentione. Sed *fiduciæ* tamen appellatione non tam aptè vsurus fuisse videtur Cicero in eo Tuscul. IIII loco, vbi fidentiam, esse firmam animi confisionem scribit. Multo autem minus libro De inuent. II, fiduciam pro fidentia dicere potuisset, in eius definitione: quum illam ipsam ad huius expositionem adhibeat: fidentiam esse dicens, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fi-

ducia certa cum spe collocauit. Cæterûm operæpretium est considerare in priore illo Ciceronis loco & vocem *œnfisio*, vbi fidentiam esse firmam animi confisionem scribit: tanquam nimirum, confisionem dicens, minus in consuetudinem peccaturus esset quàm si confidentiam diceret. At ego vereor ne magis in eam peccare existimatus fuerit: præsertim quum vix apud alium illud vocabulum reperiamus (ac nescio etiam an in alio eius loco) & analogia minimè illi faueat: quum vt *œnfisio* à *œnfisus* ab eo dicitur, ita etiam *diffisio* à *diffisus* dicere minimè permissura esse videatur: licet alioqui non minus *diffidens*, *diffidentia*, *diffidenter* dicere nobis per eam liceat quàm *œnfidens*, *œnfidentia*, *œnfidenter*. Verùm existimo, Ciceronem idem sibi voluisse hîc permittere quod grammatici sæpe (Græci præsertim) sibi permittunt: vt ad expositionem vocis alicuius vsitatæ, aut etiam vsitatissimæ, aliam afferant quam non è consuetudine petierint, sed potius confinxerint: verùm talem vt vim illius quam volunt exponere, repræsentare videatur. Ibi autem potissimum vbi de etymologiis agunt, hoc ab illis fieri videmus, & quidem adhibita, velut præfatiunculæ loco, particula *οἰονεί*.

Sed, quamuis ita excusari possit Cicero, quum tamen se ipsemet non excusset, (quod alioqui omnium scriptorum diligentissimè facit, vbi aliquid nouitatis habiturũ sermonem suum esse putat, miniméque consuetudini loquendi satisfacturum) hinc fortasse colligere possumus, eum

non ſemper legibus huius conſuetudinis loquendi adſtringere ſe voluiſſe. Ecce tamen altera ex parte quædam eius verba, quibus nequaquam ſe exlegem hac in parte eſſe velle, omnino præ ſe fert, v*ſum loquendi* (inquit) *populo cõnæſſi, ſcientiam mihi reſeruau.* Leguntur porro in Oratore hæc eius verba, vbi propoſitis in exemplum quibuſdam verbis, ſubiungit, C*onſule ueritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. Quæreatur: ita ſe dicent iuuari. Voluptati autem aurium morigerari debet oratio.* Cum hoc autem dicto optimè conuenit quod paulo antè, non magno interuallo, loquitur, *Sed cõſuetudini auribus indulgenti libenter obſequor.* Ad alium locum venio, qui prius illud dictum tanto interuallo ſequitur quanto alterum ab illo præceditur: *Quòd ſi indocta cõſuetudo tam eſt artifex ſuauitatis, quid ab ipſa tandem arte & doctrina poſtulari putamus?* In fine tamen huius opuſculi voluptatem aurium, ſicut & vulgi aſſenſum, duo eſſe ad iudicandum leuiſſima ſcribit. Verùm ad locum illum vt redeam vbi ſe vſum loquendi populo conceſsiſſe, ſcientiam ſibi reſeruaſſe ait, nónne, quum hæc dicit, conſuetudinem tantum apud ſe valuiſſe oſtendit, vt eam ſequi & ipſe vellet? Sed ex me quæret aliquis an *uſum loquendi* Cicero idem quod alibi *cõſuetudinem loquendi* appellet. Reſpondebo, *uſum loquendi* de conſuetudine loquendi poſſe dici: ſed tamen, ſiquis peculiaria ſibi quædam in ſermone habeat, eum à me potius dictum iri *ſuum quendam loquendi uſum* quàm *ſuam quandam loquendi cõſue-*

*tudinem* habere. Neque tamen negauerim, ſuam & vni eſſe conſuetudinem, dici poſſe: ſed ita vt ſimul fatear, ſolere potius de communi dici, etiamſi vocabulum illud (quod ex iis eſt quæ grammatici adiectiua nominant) non ſemper addatur, ſed multo frequentius omittatur. Alioqui & *uſum* ſine adiectione illa pro hac communi cõſuetudine loquendi dictum fuiſſe ſcio: vt ab Vlpiano, vbi ſcribit, à pleriſque in vſu libros chartas appellari. At ſi quis & *uſum dicendi* de hoc vſu loquendi, id eſt, de communi hac conſuetudine loquendi, dici exiſtimet, is ſanè longè fallatur. Atque id vel ex eo Ciceronis loco apparet, (libro ſecundo De oratore) vbi ſcribit, vſum dicendi in omni pacata & libera ciuitate dominari.

Verùm, ad Fabium vt veniam, is in principio eorum quæ de conſuetudine ſcribit, ſe illi multum tribuere oſtendit. Nam fuerit penè ridiculum (inquit) malle ſermonem quo loquuti ſint homines, quàm quo loquantur. Et ſanè quid eſt aliud vetus ſermo, quàm vetus loquendi conſuetudo? Sed his addit, huic ipſi neceſſarium eſſe iudicium, conſtituendúmque in primis id ipſum, quid ſit quod conſuetudinem vocemus. Et quum de conſuetudine loquendi verba feciſſet, poſtea eidem conſuetudinis appellationi ſuum vſum generalem relinquens, ſcribit, Nam ſi hæc nomen ex eo accipiat quod plures faciunt, periculoſiſsimum dabit præceptum non orationi modò, ſed (quod maius eſt) vitæ. Vnde enim tanrum boni vt pluribus quæ recta ſunt

placeant? Deinde comparatione quadam quæ aptissima videtur, vsus, ab illis sumpta quj vel-luntur, & comam in gradus frangunt, & in balneis perpotant (negat enim hæc vocatum iri consuetudinem, quia nihil horum caret reprehensione, & nos lauari tamen dicit, & tonderi, & conuiuere, ex consuetudine) sic in loquendo (inquit) non siquid vitiosè multis insederit, pro regula sermonis accipiendum erit. Nam vt transeam quemadmodum vulgo imperiti loquuntur, tota sæpe theatra & omnem circi turbam exclamasse barbarè scimus. Tandémque hunc de consuetudine locum verbis istis claudit, Ergo consuetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum, sicut viuendi (intellige autem viuendi consuetudinem) consensum bonorum. Hæc quidem ille: sed nimium arctis terminis consuetudinem loquendi, seu consuetudinem sermonis circumscribere, quum vult eruditorum esse consensum, ostẽdam capite quod proximè sequetur. Cæterùm idem capite 10, postquam dixit sermonem constare *ratione*, *uetustate*, *auctoritate*, *consuetudine*: Rationem, inquit, præstat præcipuè analogia, nonnunquam & etymologia: Vetera maiestas quædam, & (vt sic dixerim) religio commendat: Auctoritas ab oratoribus vel historicis peti solet. Et interiectis quibusdam de poetis, subiungit, Consuetudo uerò, *certissima loquendi magistra*: vtendúmque planè sermone, vt numo, cui publica forma est. Et in capite quod hoc præcedit, postquam dixit, Neque enim iam Calypsonem dixerim, vt Iuno-

nem: quanquam sequutus antiquos C. Cæsar vtitur hac ratione declinãdi: addit, *sed autoritatem consuetudo superauit*. Facit verò ad consuetudinis laudem & quod ab eo scribitur in eodem capite, *ut ipsam analogiam nulla res alia fœrit quàm consuetudo.*

Vt autem Fabium consuetudini loquendi nimium suos arctare terminos dixi, ita Sextum nimium eos illi laxare, non immeritò, mea quidem sententia, dixerim. Vult enim nos sermonem ad personas accommodare. id est, habita personarum ratione, vel hoc vel illo sermone vti. Vbi (inquit) *de re loquendum erit quæ duobus modis dicitur, conabimur, accommodantes nos ad personas, id quod minimè rideatur proferre, qualecunque id sit secundum naturam.* Exempli gratia, *eadem res* ἀρρόφοιον *uocatur &* παιδάριον. Et *rursum eadem res,* σαμψιον *&* ἀμίδιον, *&* ἴγδις *&* δυία: *sed decorum pro scopo nostro habentes* (dicit enim, σχαζόμενοι τῶ καλῶς ἔχοντος) *necnon apertè loqui uolentes, minimèque rideri à pueris quorum ministerio utimur, nec ab idiotis, dicamus* παιδάριον, (*etiamsi barbarum uocabulum sit*) *ac non* ἀρροφοείδα: *&* σαμψιον, *non* ἀμίδα: *&* δυίαν *potius quàm* ἴγδιν. Scribo autem ἀρροφοείδα posteriore loco, quum in priore ἀρρόφοιον scripserim: quoniam eadem meo in exemplari est diuersitas. Scio alioqui & ἀρρόφορον vtrobique potuisse scribi: & rectius quidem, vt opinor. Cæterùm hic bonus vir illis ista adiicit, Ac *uicissim in colloquio, habita ratione præsentium, idiotarum uocabula missa facientes, illam autem loquendi consuetudinem quæ magis urbana est & philologos homines decet,*

*conſectabimur. Sicut enim conſuetudo inter philologos receptа videtur apud idiotas, ita etiam idiotarum conſuetudo apud philologos.* Atque his verbis locum iſtum claudit, δεξιῶς οὖν ἔχοι τις φυλάσσειν τὸ πρέπον ἀποδιδόντες, δόξομεν ἀμέμπτως ἑλληνίζειν. Sed ſunt quæ opponi Sexto queant quominus verum comperiatur quod hîc ſcribit, videlicet, ea cautione vtendo quam dixit, helleniſmum ſuum talem fore vt meritò reprehendi non poſsit. Nam quum modò ſermone vti permiſerit cui etiam barbara vox adhibita ſit, quomodo ab hoc ad eum tranſiens quo in colloquendo cum philologis vtendum cenſet, eum magis vrbanum appellat? Quaſi verò & is cui barbari quidpiam admixtum eſt, vrbanus quidem, ſed minus vrbanus dici poſsit. Quinetiam quod ſcripſit initio huius diſſertationis, qua inquirit an aliqua ſit ars circa helleniſmum, puritatem & velut munditiem ſermonis nobis commendat, vocans τὴν περὶ τὰς ἑλληνισμοὺς κατασκευήν. atqui hæc à qua re magis quàm à barbarie abhorret? Sed & hoc argumento vtitur in quodam huius diſſertationis loco: τὸ ἑλληνικὸν (ita enim ſermonem Græcum vocat) aut eſſe natura, aut poſitione. At natura quidem non eſſe: (quum alioqui futurum non eſſet vt aliquod verbum aut aliquod genus loquendi aliis Græcum, aliis minimè Græcum videretur) quòd ſi poſitione ſit & lege hominum (nam hîc poſt ἔχοι, addit, καὶ νόμῳ τῶν ἀνθρώπων) fore vt is qui maximè verſatus erit in conſuetudine loquendi, & cui ea maximè trita erit, poſsit ἑλληνίζειν, non autem is qui an-

logiæ peritus erit.

Affert verò & aliud argumentum in iis quæ proximè ſequuntur, quod (vt credibile eſt) quum proponere cogitaret, tale quid illi in mentem venit, quale hoc quod à Naſone ſcriptum eſt,

Et *quæ non proſunt ſingula, multa ualent.*

Volens enim oſtendere, nihil opus eſſe arte grammatica ad hoc vt ἑλληνίζειν quis poſsit, *In familiaribus colloquiis* (inquit) *aut nobis repugnabit uulgus ob quædam uocabula, aut non repugnabit.* (aut etiam ita, *uel nobis repugnabunt plerique, uel non repugnabunt.*) *Quòd ſi repugnabunt, ſtatim & emendabunt nos. atque hinc fiet ut poſſe ἑλληνίζειν non à grammaticis accipiamus, ſed id nobis ex ea occaſione contingat.* Verùm vt alia nonnulla omittam quę huic opponi argumento queunt, non ſequitur vt quiſquis alicui loquenti repugnat, quòd aliquid in eius ſermone improbet, emendare etiam id velit quod in eo reprehẽſione dignum exiſtimat. Quòd ſi velit, non ſequitur vt etiam queat. Fieri enim poteſt vt aliquis aliquid in ſermone reprehendat, aurium ſuarum iudicium ſequens, quod tamen fallatur: fieri etiam poteſt vt id reprehendat quod alios reprehendentes audiuerit, quum alioqui rationem reprehenſionis ignoret. Præſertim verò ſi οἱ πολλοὶ de vulgo intelligamus, non de pleriſque, ſeu maiori parte, meritò dicemus, fieri poſſe vt aliquis è vulgo, & non ſolùm analogiæ, ſed omnino literarum imperitus, aliquid reprehendat, & tamen nullam ſuæ reprehenſionis reddere rationem poſ-

fit: verùm hoc tantùm dicere, se aliquem literarum peritum audiuisse illud ipsum in alio reprehendentem. I nunc Sexte, & nos, hellenismi consequendi causa, ad illam τῶν πολλῶν consuetudinem & ad τὰς ἀνὰ χεῖρας ὁμιλίας remitte.

## CAP. XX.

*De consuetudine quæ communis vocatur, & de ea quæ eruditorum seu doctorum consuetudo appellatur, & à quibusdam docta consuetudo.*

*Varronis hanc esse sententiam videri, vt partim consuetudinem partim rationem sequamur.*

*De disciplina loquendi, quam dicit Varro, & de scientia loquendi, quæ à Cicerone dicitur, an eædem sint.*

*Ciceronem voluptati aurium, in diiudicandis quibusdam de Latino sermone controuersijs, multum tribuendum censuisse.*

CONSVETVDINEM loquendi alij simpliciter consuetudinem, alij consuetudinem communem vocarunt. Et quidem ab vno eodémque scriptore (nominatímque à nostro Varrone) interdum hoc interdum illo nomine vocata fuit: quemadmodum & Græci modò τὴν συνήθειαν simpliciter, modò τὴν κοινὴν συνήθειαν

dixerunt. Nec dubito quin hac appellatione ſermonem etiam vulgi complecterentur. Fabius tamen illo in capite libri primi duodecimo (ſecundum quorundam libri illius in capita partitionem) non aliter quàm conſuetudinem abſque iſta adiectione dixit: ac ne dicere quidem potuit. Quomodo enim conſuetudinem communem nihil aliud quàm conſenſum eruditorum eſſe debere, ab eo dici poſſet? At hunc tamen ita loquentem audiuimus, *Ergo conſuetudinem ſermonis uocabo conſenſum eruditorum, ſicut uiuendi, conſenſum bonorum.* Hæc autem doctorum ſiue eruditorum conſuetudo, vocata etiam fuit docta conſuetudo à quibuſdam: qui viciſsim appellare indoctam, eam quæ inter vulgi homines recepta eſſet, potuerunt. Verùm Quintiliano aliiſque qui horum demum ſiue doctorum ſiue eruditorum ſermonem normam ſermonis conſtituent, opponi multa poterunt, non à Sexto tantùm, aut à Sextiano quopiam (id eſt, cauillari multa, more Sexti, multáque magis acutè & argutè quàm verè loqui volente) ſed ab iis etiam quibus τὸ φιλάληθες cordi erit. Hæc autem duo fortaſſe, prima illis in mentem venient: vnum, conſuetudinem hanc loquendi, non maioris hominum partis, ſed minoris (& quidem multo minoris) eſſe futuram: alterum, fore quidem vt de nonnullis inter ſe conſentiant eruditi, ſed de multis etiam diſſenſuros.

Hæc, atque alia quæ opponi Quintiliano & quibuſdam aliis queunt, faciunt vt ad Varronis partes magis inclinem, qui libro octauo, quam-

uis consuetudini rationem opponat, videtur tamen concedere vt partim rationem partim consuetudinem sequamur. Vbi si rationem de analogia dici nolimus, saltem de ratione quam hęc videtur ostendere, intelligi à nobis debere arbitror. Velim autem & ea considerari quibus librum octauum claudit, quomodo analogiam vniuersi, quomodo singuli sequi debeant. Sed ita considerari vt simul cum iis conferantur quę pag. 102 scripta sunt, vbi & de populo & de singulis loquitur. Nam ex hac collatione & sensum illius prioris loci patefactum iri & aliquid in eo emendatum iri confido.

Sed quænam est illa disciplina loquendi cuius ab eodem Varrone fit mentio? illine cum alia vlla quàm eruditorum consuetudine negotium est? Illa (inquam) disciplina loquendi cuius ab eo fit mentio libri noni initio, *In uerborum declinationibus disciplina loquendi dissimilitudinem an similitudinem sequi deberet, multi quærunt* (sed scribendum *quæsierunt*, vt antea dixi) *quum ab his ratio quæ à similitudine oriretur, uocaretur analogia: reliqua pars appellaretur anomalia.* Quænam est (inquam) illa disciplina loquendi? Vel potius, quisnam certam se sibi disciplinam propofuisse dicere possit qui quidem non similitudinem quæ est in analogia, sed dissimilitudinem quæ est in anomalia, sequi se dicat? Quid enim aliud fuerit per anomaliam, quæ omnino est ἄστατος, quàm per deuium iter, vagari? Tale quid de anomalia dictum noster ille Sextus si legisset, id est, si tantum honoris anomaliæ delatum

inueniſſet(qui ſic analogiæ laudem ſuam detrahit vt tamen nullo anomaliam honore dignetur, ac ne mentionem quidem eius faciat: tantum abeſt vt ſuos illam aſſertores, non minus quàm analogiam, habere dicat) proh quantis ſannis eum à quo eſſet id ſcriptum ſubſannaſſet! Ac ne hoc quidem te celabo, ſuſpectum mendi locum hunc Varronis aliquando mihi fuiſſe:&, quum ita ſcriptus ſit, *In uerborum declinationibus diſciplina loquendi diſſimilitudinem an ſimilitudinem ſequi deberet, multi quærunt*: veniſſe in mentem ita ſcribere, *In uerborum declinationibus an diſciplina loquendi locum haberet, & diſſimilitudinem an ſimilitudinem ſequi deberent, multi quæſierunt.* Aut (minor vt ſit interpolatio, breue tantùm verbum cum particula copulante addendo, præter voculam *an*) hoc modo, *an diſcipl. loquendi eſſet, & diſſimil. an ſimil.* Fortaſſe tamen alicui non minus placeat, *eſſe poſſet.* Sed, quocunque ſit modo legendus hic locus, non immeritò quærat aliquis an *diſciplinam loquendi* Varro dicens, idem intellexerit quod Cicero vbi *ſcientiam loquendi* dicit: in illo videlicet Oratoris loco vbi ſcribit, *vſum loquendi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui.* Ego ex diſciplina loquendi ſequi ſcientiam ſcio: ſed Ciceronem tamen non ſcientiam quam ex diſciplina & certis alicuius magiſtri præceptis haberet, intellexiſſe puto, verùm eam tantummodo quam ſibi diligenti obſeruatione, accedente ad eam & iudicio, comparaſſet. Ac perinde propemodum eſſe dixerim ac ſi ita loquutus eſſet, Ego ſatis habui ſcire quomodo loquen-

loquendum esset, eóque contentus fui: interim vsum loquendi receptum apud populum ius habere suum volui. Atque his verbis innuit se quoque nonnullis in suo sermone locum dedisse, consuetudini populi assentientem, quum alioqui ea non probaret, & improbanda esse sciret. Totus autem locus est hic, *Quim ego ipse, quum scirem ita maiores loquutos esse ut nusquam nisi in uocali, adspiratione uterentur, loquebar sic ut pulcros, & Cetegos, triumpos, Kartaginem dicerem: aliquando, idque serò, conuitio aurium quum mihi extorta ueritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reseruaui.*

Cæterùm non ex hoc tantùm loco, sed ex aliis etiam nonnullis (quorum aliquot à me antea commemorati fuerunt) Ciceronem voluptati aurium tribuisse multum videmus, in diiudicandis quibusdam de Latino sermone controuersiis. Nam vel hoc ipsum quale est, dicere, veritatem sibi conuitio aurium esse extortam? Neque enim aliunde fuisse hoc aurium conuitium putandum est quàm quòd hæ voluptatis suæ, potius quàm veritatis, haberi rationem vellent, & voluptati suæ orationem morigerari. Quod ostendunt & ista quæ paruo interuallo præcedunt verba, *Consule ueritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. Quære cur: ita se dicent iuuari.* Atque his illa verba, vt quibus aliquod axioma includatur, subiungit, *voluptati autem aurium morigerari debet oratio.* Quod autem hîc, Voluptati aurium morigerari, breuius alibi, Auribus indulgere: vbi se consuetudini auribus

indulgenti libenter obſequi ſcribit. Videtur autem exiſtimaſſe, ipſam etiam naturam huic aurium voluptati in oratione ſtudere, eámque quibuſcunque modis poteſt moliri: quum allatis duobus exemplis, quibus oſtendit non fuiſſe eam offenſionem in verſibus quam tum fugerent poetæ noui, exclamat, *Quòd ſi indocta conſuetudo tam eſt artifex ſuauitatis, quid ab ipſa tandem artæ & doctrina poſtulari putamus?* Vbi etiam obſeruanda vox *offenſio*. quæ enim illa eſt offenſio de qua loquitur? aurium videlicet. Nec verò dubito quin & apud Varronem in fine libri octaui, ſit itidem de offenſione aurium intelligendum quod ſcribit, (ſi mendo illa ſcriptura caret) *præterquam in quibus uerbis offenſura ſit conſuetudo communis*. Cęterùm (vt hoc obiter addam) in Latinitate quæ Ciceroniana fuit poſterior, habitam minus fuiſſe arbitror huius aurium voluptatis rationem: quòd nonnullorum ſibi vocabulorum vſum permiſerint quæ duriuſcula auribus Ciceroniani ſeculi futura fuiſſe credibile eſt.

CAP.

# CAP. XXI.

*De analogia quædam à Quintiliano etiam & aliis quibusdam esse tradita.*

*Horum nonnulla ex iis Varronis quæ supersunt scriptis sumpta esse: fortasse autem non pauciora ex iis quæ interciderunt esse petita.*

VARRONIS de analogia libri quamuis velut fons quidam fuerint, vnde quæ eius posteri de ea scripserunt, aut eorum pleraque, tanquam riuos vel riuulos, manasse credibile est: ac minimè è riuis haurire eos oporteat quibus ex ipso haurire fonte datur: tamen, quum temporis iniuria factum sit vt parte tantum illius fontis, eáque passim turbida & inquinata, frui nobis liceat, non pudebit è riuis etiam qui ex eo, dum purus adhuc & limpidus esset, profluxerunt, aliquid haurire. Primus autem adeundus fuerit Quintilianus, qui libro suarum Institutionum oratoriarum primo (in quo propositum illi est ea quæ de ratione Latinè atque emendatè loquendi dicenda sunt, exequi) non pauca de ipsa scribit: & quidem initio à nominis eius interpretatione facto. Quam (inquit) proximè ex Græco transferentes in Latinum, proportionem vocaucrunt. Atque his subiungit, eius hanc esse vim, vt, id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quæritur (id est, de quo non itidem est dubitatio) referat: vt incerta cer-

tis probet. Hoc duplici via efficiait, comparatione ſimilium in extremis maximè ſyllabis, & deminutione. Sed poſtquam dixit, comparatione ſimilium in extremis maximè ſyllabis, hæc per parentheſin interiicit, *propter quod ea quæ ſunt è ſingulis, negantur debere rationem*. Vbi obſerdum eſt rationem de analogia dici, ſicut & à Varrone dici de ea docui in ſuperioribus. Intelligit autem ea quæ ſunt è ſingulis ſyllabis: quæ à Græcis monoſyllaba appellantur. ac ſumpta eſt è Varrone hæc exceptio, à quo tamen quæ in exemplum afferuntur vocabula, ſunt potius ex iis quæ partes orationis indeclinabiles vocantur: & quidem poſitis etiam nonnullis quæ monoſyllaba haud ſunt. neque enim tantùm *uix* & *cras* & *cur* proponit, ſed & *magis*, necnon *etiam*. Locus eſt libro VII, pag. 86, *Duo enim genera uerborum: Vnum fœcundum, quod declinando multas ex ſe parit diſpariles formas: ut eſt, Lego, legis, legam: ſic alia. Alterum genus ſterile, quod ex ſe parit nihil. ut eſt etiam, uix, magis, cras, cur.*

Ad Fabium autem vt reuertar, is, propoſita comparatione & deminutione, de illa prius agit: aitque comparationem in nominibus aut genus deprehendere, aut declinationem. Genus, vt ſi quæratur, funis maſculinum ſit an fœminium, ſimile illi ſit panis: Declinationem, vt, ſi veniat in dubium, Hac domu dicendum ſit, an Hac domo, & Domuum, an Domorum, ſimilia ſint, Domus, Anus, Manus. Sed vereor ne poſt hæc duo nomina *anus* & *manus* librarius aliud quodpiam aut etiam alia duo omiſerit:

quo vel quibus oſtendebat Fabius non tantùm *domu* ſed etiam *domo*, nec tantùm *domuum* ſed *domorum* quoque dici. Neque tamen auſim ſuſpicari aliud fuiſſe additum à Fabio nomen, quàm quod fœminini itidem foret generis. Ideóque non *ramus*, aut *hamus*, aut *annus*, ſed *ſannus*, aut aliud aliáve fœminei itidem generis, adiunxiſſe eum mihi fit veriſimile. Ad deminutionem deinde veniens, eam genus tantum dicit detegere. Et ne ab eodem exemplo recedam (inquit) *funem* maſculinum eſſe, *funiculus* oſtendit.

Eandem in verbis quoque rationem comparationis eſſe ſcribit: vt ſiquis antiquos ſequutus *feruere* breui media ſyllaba dicat, deprehendatur vitiosè loqui: quòd omnia quæ *e* & *o* literis fatendi modo terminantur (vocat autem *fatendi* modum qui vulgo *indicandi* modus appellatur) eadem ſi in infinitis *e* literam media ſyllaba acceperunt, vtique productam habent: *prandeo*, *pendeo*, *ſpondeo*: *prandêre*, *pendêre*, *ſpondêre*. At quæ *o* ſolam habent, dummodo per eandem literam in infinito exeant, breuia fiunt. *lego*, *dico*, *curro*: *legere*, *dicere*, *currere*. etiamſi eſt apud Lucilium,

*Ferut aqua & feruet: feruit nunc, feruet ad annũ.*

Verùm à Lucilio diſſentire ſe oſtendens, addit, Sed pace dicere hominis eruditiſsimi liceat, ſi *feruit* putat illi ſimile *currit* & *legit*, *feruo* dicetur vt *curro* & *lego*. quod nobis inauditum eſt. Additque, Sed non eſt hæc vera comparatio. nam *feruit* illi eſt ſimile *ſeruit*. Quam propor-

tionem ſequenti dicere neceſſe eſt *feruire*, vt *ſeruire*. Vbi obſerua *comparationem* & *proportionem* in locis valde vicinis ab eo de analogia dici. Quod autem ad iſtam Lucilij per Fabium reprehenſionem attinet, fortaſſe quod ille præfatus eſt, *pace dicere hominis eruditiſſimi liceat*, ita & mihi iis quæ dicturus ſum aduerſus Fabium prefandum ſit. nam licet Virgilium, qui *feruere Leucaten* dixit, veriſimile ſit nequaquam dicturum etiam fuiſſe *feruo*, *feruis*, *ferut* (ſic enim & alia quædam ſecundæ coniugationis per tertiam quoque extuliſſe ſcimus illud ſeculum, verùm in infinito modo, non etiam in modo indicandi) tamen apud Terentium *ferut* quoque legitur, & quidem agnoſcente hanc lectionem & Priſciano. Cuius Terentiani loci Fabius ſi recordatus fuiſſet (niſi fortè eum aliter ſcriptum habuit) Lucilium haud reprehendiſſet. Illud autem infiniti modi *feruere* tertia coniugatione, etiam apud Valerium Flaccum & Propertium legitur.

His ſubiungit, primam quoque aliquando poſitionem ex obliquis inueniri (intellige autem, inueniri per analogiam, & poſitionem vocari ſcito quod vulgo thema nominamus) atque hoc modo à ſe conuictos eſſe ait quoſdam qui reprehenderant quòd verbo *pepigi* vſus eſſet. Nam id quidem (inquit) dixiſſe ſummos auctores confitebantur, rationem tamen negabant permittere: quia prima poſitio *paciſcor* quum haberet naturam patiendi, faceret tempore præterito *pactus ſum*. Atque his addit quomodo il-

los analogiæ adminiculo conuicerit: Nos, præter autoritatem oratorum atque hiſtoricorum, analogia quoque dictũ tuebamur. Nam quum in XII tabulis legeremus, *ni ita pagunt*, inueniebamus ſimile huic *cadúnt*. Inde prima poſitio, etiamſi vetuſtate exoleuerat, apparebat, *pago*, vt *cado*. vnde non erat dubium ſic *pepigi* nos dicere vt *cecidi*. Rectè quidem Fabius: ſed maiori cum laude victor abiiſſet, ſi & aliud exemplum addidiſſet, quod ſuppeditabat quidem analogia itidem, verùm ſua illi (vt credibile eſt) memoria non ſuggerebat. id verò eſt verbum *tago*. quis enim antiquum hoc verbum Fabio ignotum fuiſſe, credere auſit? Poterat igitur & iſtud *tago* (pro quo poſtea *tango* dictum fuit) in exemplum afferens, dicere, Inde prima poſitio, etiamſi vetuſtate exoleuerat, apparebat, *pago*, vt *tago*: vnde non erat dubium, ſic *pepigi* nos dicere, vt *tetigi*, vt *cecidi*. Hoc tantum eſt diſcriminis inter duo iſta quæ in exemplum afferuntur verba, *tago* & *cado*: quòd de priore illo *tago*, ſicut de *pago*, dici poterat, vetuſtate exoleuiſſe: at non & de *cado*.

Sed inter grammaticos de præterito illo *pepigi* controuerſia eſt. nam & apud Seruium, in hęc verba Virgilij, *Bis ſenos pepigere dies*, legimus, ab eo quod eſt *paciſcor* fieri & *pepigo* & *pactus ſum*: ſicut ab eo quod eſt *parco*, & *parſi* & *peperci*. Sed quomodo *pepigi* à *paciſcor* eſſe poteſt? Quum autem è cæteris grammaticis alij *pepigi* à *pango*, alij à *pago* deducant, ſequi potius Fabium debemus, à *pago* deducentem: quum analogiam pro eo facere oſtendat verbi *cado* præteritum *cecidi*:

& ad eam confirmandam multũ valeat id quod adiicio exemplum præteriti *tetigi*, quod itidem eſt à *tango*.

Ab his autem paucis quæ analogiæ vſum oſtendunt, eámque nobis commendant, ad eą tranſit (aut ſaltem ad quædam eorum) quæ aduerſus eam afferuntur. Sed meminerimus (inquit) non per omnia duci analogiæ poſſe rationem, quum ſibi ipſa plurimis in locis repugnet.

Atque his addit nonnulla quæ ab iis reſpondentur qui analogiæ volunt patrocinari. Scribit enim, Quædam ſine dubio conantur eruditi defendere: vt quum deprehenſum eſt, *lepus* & *lupus* ſimili poſitione, quantum caſibus numeríſque diſſentiant: ita reſpondent, non eſſe paria, quia *lepus* epicœnum ſit, *lupus* maſculinum. quanquam Varro in eo libro quo initia vrbis Romæ enarrat, *lupum* fœminam dicit, Ennium Pictorémque Fabium ſequutus. Affertur autem à Varrone aliquoties hęc obiectio de vocabulis *lupus* & *lepus*. vt pag. 97, *Sic item, quoniam ſimile eſt recto caſu ſurus, lupus, lepus: rogant cur non dicant proportione item ſura, lupo, lepo.* Et alicubi de his tantùm duobus *lupus* & *lepus* quæſtionem mouet. Sic verò in exemplum hæc tantùm duo afferuntur & pag. 91, Ibi enim à ſimilibus diſſimilia fieri poſtquam dixit, addit, *ut à lupus, lepus, lupo, lepori.*

Aliam ad obiectionem venit, cur *aper* quidem, *apri*, at *pater* faciat *patris*: ſimúlque addit quidnam ad eam reſpõdeatur. Illi autem iidem quum interrogantur (inquit) cur *aper*, *apri*, &

*pæter, patris* faciat (sic autem & alibi verbo *fære* vtitur Fabius, quum alioqui de hoc eius vsu grammatici vulgo reprehendantur) illud nomen, positum, hoc, ad aliquid esse contendunt. Præterea, quoniam vtrunque à Græcis ductum sit, ad eam rationem recurrunt, vt πατρὸς, *patris*, κάπρος, *apri* faciat.

Aliam proponit obiectionem, quam eiusmodi esse putat vt ad eam responderi ab analogiæ defensoribus non possit. Scribit enim, Illa tamen quomodo effugient, vt nomina quamuis fœminina, singulari nominatiuo in *us* finita, nunquam genitiuo casu in *ris* terminantur, faciat tamen *venus*, *ueneris*? Vbi *tærminentur* scribendum est, quod conuenire possit cum *faciat*: sed & pro *ris* non dubito quin *eris* scribi debeat. nam quomodo negassent, nomina fœminina, singulari nominatiuo in *us* finita, terminari in *ris* syllabam, quum nominis *tellus* genitiuus *telluris* tam frequenter ad aures nostras accidat? At verò ad illud quod obiicitur, si quidem *eris* legatur, quidnam responderi posse dicemus? Non sequi vt aliqua analogiæ regula, regulæ nomen & ius non obtineat quòd aliqua vox proferri queat quæ ex ea excipienda sit. Alioqui certè neutrius generis nominibus potius genitiuum in *eris* obtigisse ostendunt cum alia, tum *uellus*, *genus*, *acus*.

Sequitur aliud quod itidem opponi dicit, Item (inquit) quum *es* literis finita per varios exeant genitiuos, nunquam tamen eadem *ris* syllaba terminatos, *Ceres* cogat dici *Cereris*? Sed

ego Fabio respondeo, aut iis in quorum persona loquitur, non ideo etymologiam suum & hac in parte ius non seruare: atque haud perinde esse ac si eorum nominum quæ in *es* exeunt nulla eandem genitiui terminationem haberēt. Nam hoc de iis dici non posse ostendunt ista, *paries, abies, aries, quies*, (nisi quòd hîc genitiui penultima longa est, quum in illis sit breuis) & ex iis quæ in *es* desinunt præcedente consonante, ista, *æres, seges, præpes*: necnon hæc, *æremes, trames, miles, diues, cæspes*: quinetiam hæc, *obses, deses, præses*. Quidni enim has genitiui diuersas καλαλήξεις in diuersas velut συζυγίας distribuamus, & vnamquanque συζυγίαν habere suam analogiam dicamus? vt prima sit in *ietis* aut *etis* exeuntium: secunda, in *ieis*: tertia, in *idis*: (nam de termina-tione in *edis*, quam habet genitiuus nominis *pes*, nunc taceo) at *Ceres*, quòd sit nomen deæ, esse αυτόνομον voluisse, & nullius συζυγίας termina-tioni se adstringere?

Subiungit ista, Quid verò, quæ tota positionis eiusdem, in diuersos flexus exeunt? quum *Alba* faciat *Albanos* & *Albenses*: *Volo, uolui*, & *uolaui*. Affertur autem & à Varrone prius illud exemplum (quinetiam posterius) libro VII, *Ab ijsdem uocabulis dissimilia fingi apparet: quòd quum duæ sint Albæ, ab una dicuntur Albani, ab altera Albenses*. Aliúdque exemplum talis ab eodem vocabulo disimilitudinis adiicit, *quum trimæ fuerint Athenæ, ab una dicti Athenæi: ab altera, Athenienses, à tertia, Athenæopolitæ*. Sed multis hoc mirum magis fortasse quàm fide dignum videri

queat, quis enim ex his tribus aliud quàm *Athenienſes* pro Latino habeat? Ad illas autem duas terminationes quod attinet, quarum Fabius mentionem facit, alias itidem multas ex vrbium nominibus deductas appellationes, partim in *enſes*, partim in *ani* deſinere videmus.

Illis proxima ſunt iſta apud Fabium, Nam præterito quidem tempore variè formari verba, prima perſona *o* litera terminata, ipſa analogia confitetur. Siquidem facit *Cado, cecidi: Spondeo, ſpopondi*: Pingo, *pinxi*: Lego, *legi*: Pono, *poſui*: Frãgo *fregi*: Laudo, *laudaui*. Sed interrogãdus eſſet Fabius an hoc analogia ita confiteatur, vt interim ſe in iſta præterita ſuum analogiæ ius non obtinere fateri velit. Hoc certè nunquam faſſuram eſſe illam aut faſſuros eos qui illi patrocinantur, ſatis conſtat. Quidni enim potius hæc itidem præterita, quæ diuerſa ſunt, in diuerſas συζυγίας, quarum vnicuique præſit analogia, diuidamus?

Sed ipſe hanc iſtius diuerſitatis rationem reddit, Non enim quum primùm fingerentur homines, analogia demiſſa cœlo formam loquendi dedit: ſed inuenta eſt poſtquam loquebantur: & notatum in ſermone quid quo modo caderet. Itaque non ratione nititur, ſed exemplo: nec lex eſt loquendi, ſed obſeruatio: vt ipſam analogiam nulla res alia fecerit quàm conſuetudo. Deinde conqueritur de nonnullis qui nihilominus analogiæ nimium addicti eſſent, & propterea nonnulla vocabula ſibi peculiaria, vel potius aliquid in nonnullis vocabulis ſibi

peculiare haberent. Scribit enim, Inhærent tamen quidam (intelligo autem, inhærent analogiæ) moleſtiſsima quadam diligentiæ peruerſitate, vt *audaciær* potius dicant quàm *audacter*; licet omnes oratores aliud ſequantur: & *emiciuit*, non *emicuit*: & *œnire*, non *œire*. His permittamus & *audiuiſſe* & *ſaiuiſſe*, & *tribunale*, & *faciliær*, dicere. Frugalis quoque ſit apud illos, non *frugi*. nam quo alio modo fiat *frugalitas*? Idem *œntum millia nummum*, & *fidem deum*, oſtendant duplices ſolœciſmos eſſe: quando & caſum mutant & numerum. Hæc ille. Quantum autem ad vocabulum *audaciær* attinet, quod proponit primum moleſtiſsimæ in ſeruanda analogia diligentiæ exemplum, (volebant enim illi nimium analogiæ ſtudioſi ita ab *audaci* dici *audaciær* vt à *mendaci* dicitur *mendaciær*, vt à *fallaci* dicitur *fallaciær*, abſque ſyncope) quid Priſciano reſponderet Fabius illud non ex Saluſtio tantùm, ſed ex Cicerone etiam afferenti? Vt tamen ingenuè fatear quod ſentio, mirum ac vix etiam credibile videtur, Ciceronem vno demum in loco (aut etiam duobus tribúſve in locis) *audaciær*, in aliis omnibus, qui quamplurimi ſunt, *audacter* dixiſſe. at in poeta, propter neceſsitatem quam imponit lex numerorum, non itidem mirum, nedum incredibile, videri poſſet.

Quæ autem ſequuntur exempla, ita ſunt legenda, vt ſub vnoquoque vocabulo quod in exemplum affertur, alia quæ eiuſdem formæ ſunt intelligamus. Si igitur *emiciuit* dicere volebant, non *emicuit*: itidem *ſeciuit*, non *ſecuit*, & *applica-*

*uit*, non *applicuit*, & *fricuut*, non *fricuit*, dicere solitos existimare debemus. Itidémque si *œnire* non *œire* illis placebat, etiam *circumire*, non *circuire*, placuisse illis putandum est. Dubitatio tamen existere hîc potest, an itidem *œnoriri*, non *œoriri*, suum in sermonem reciperent. adeo vt apud Virgilium non legerent, *quum sæpe œorta est seditio*, verùm, *quum sæpe œnorta est seditio*. eodémque modo quocunque in carmine *lacrymæ œortæ* occurreret (poetas enim præsertim ita loqui scimus) ibi *lacrymæ œnortæ* legi vellent.

Atque vt in illis exemplis pergam, quum dicit, His permittamus & *audiuisse* & *saiusse*, dicere: non dubiũ mihi est quin idem de aliis pleriſque infiniti modi verbis intelligi à nobis debeat: vt de *nouisse*, *iuisse*. Sed quærat aliquis, An Fabius talia, *audiuisse*, *saiusse*, *nouisse*, *iuisse* damnabat? Nequaquam: sed perinde est acsi diceret, Quandoquidem hi nolunt *audisse* & *sasse*, atque *nosse* & *isse* dicere, haud minus quàm *audiuisse* & *saiuisse*, & *nouusse* & *iuisse*: sed ab illis, non plenis, verùm per syncopen deminutis, abstinent, tanquam barbaris: suo his vti iudicio permittamus.

Idem verò & de vocabulo *tribunale* sentiendum est. Neque enim mihi quisquam persuaserit, Fabium hoc vnum nomen in exemplum attulisse, quod illi de quibus agit, & de quibus queritur tanquam analogiæ nimium addictis, in hoc vno terminatione hac vterentur, alteram vitarent, ac non idem in aliis quæ eiusdem sunt classis facerent: sed nobis voluisse idem & de aliis cogitandum relinquere: ita vt simul *ærumale*

& *uectigale* & *torcular e* , & *torale*, & *trientale*,& *bidentale* nobis audire videremur. Fateor tamen, illos qui lexica nobis dederunt , nonnullis tantùm horum terminationem vtramque dediſſe: ac dubitari de quibuſdam poſſe vtrum & illa in *ale* terminatio, de quibuſdam contrà, vtrum illa in *al* data eis fuerit. nam *animale* ( quum eo tanquam adiectiuo non vtimur, ſed pro eo quod dici ſolet *animal* ) valde nouum videtur,& viciſſim *funal* auribus aſſuetis audire *funale* , nouam habere terminationem videri poſsit.

Sed , antequam ad ea quæ his adiiciuntur exempla veniam, Fabium alia potius quàm ſuperiora illa debuiſſe afferre dico , ad reddendam nobis odioſam illam diligentiam quam moleſtiſsimam vocat , vel potius cui moleſtiſsimam quandam peruerſitatem tribuit : ( ſcribit enim, *inhærent tamen quædam , moleſtiſſima diligentiæ peruerſitate* ) quum ab iis ſeruari analogia poſſet, non minus aliis vtendo , quàm iis quæ notat, tanquam ſermonem illorum moleſtum reddentia. Excipio tamen aduerbium illud *audaciter*. non enim ſicut placebat illis *audaciter* dicere potius quàm *audacter* , ſeruando illi aduerbio analogiam quæ ei erat cum *mendaciter*, cum *fallaciter*,cum *rapaciter*,cum *furaciter* : ita viciſsim ſi libuiſſet hæc aduerbia per ſyncopen efferre, ſicut *audacter*, id facere vllius auditoris permiſſuræ fuiſſe aures videntur. Quis.n.*mendacter*,aut *fallacter*,pro *mendaciter* & *fallaciter*,aut in alio vllo talem ſyncopen,qualis eſt in *audacter*, admiſiſſet? Verùm ſi, vt *emiauit* dicere malebant,

quàm *emiuit*, ita *ſeauit* quàm *ſeuit*, & *appliauit* quàm *appliuit*, & *friauit* quàm *friuit*: necnon *increpauit* quàm *increpuit* (vt quidam non minus illud quàm hoc dici ſcripſerunt, vbi de reprehenſione vehementi agitur, & quæ veluti cũ crepitu fit) & *domauit* quàm *domuit*: ita dicere viciſsim maluiſſent *emiquit*, quàm *emiauit*, & *ſeauit* quàm *ſeauit*, itidémque in cæteris hunc ſonum illi prætuliſſent: nónne & hîc à ſe analogiam ſeruari dicere potuiſſent? Minus verò debuit Fabius talem horum præteritorum vſum quàm aliud quidquam illis obiicere, quum vix aliud ſit in tota Latinitate, ex iis quæ ad declinationem verborum pertinent(quam grammatici Varronis poſteri, præſertímque recentiores, coniugationem potius appellarunt) magis controuerſum, quàm vtro debeãt modo præterita nonnullorũ taliũ verborũ efferri, quæ alioqui eiuſdem ſunt claſsis, primæ videlicet. Nonnulla enim ſunt vbi ſi *ui*, non *aui*, dicas, rideariss: nonnulla vbi ſi vice verſa *aui*, non *ui*, auſis dicere, riſum haud effugeris. Nam à *Neo* ſi quis *neui* dicat, non *neaui*, aliquid inuſitatum afferre videbitur. (licet quidam grammatici non paruam inter illa duo, tanquã alioqui æquè vſitata, differentiã conſtituant) ac viciſsim, à *Præſto* ſi quis *præſtaui* dicere audeat, vix ſine riſu audiatur.

Cæterùm, vt meum perſequar ſermonem de analogia quam vtraque in parte eſſe aio, (id eſt, ſiue quis *emiauit* & *ſeauit* & *appliauit* dicat, ſiue *emiuit*, & *ſeuit*, & *appliuit*, dicere, eãdémq; & in cæteris formam ſeruare malit) idem omnino de

illis infinitiuis *audiuſſe* & *ſciuiſſe*, déque aliis quæ his ſimilia ſunt, (ex quibus, *nouiſſe* & *iuiſſe*) obiici poteſt. Cur enim eos ideo dicemus his vſos eſſe, non autem illis, *audiſſe*, *ſciſſe*, *noſſe*, *iſſe*, quòd analogiam mordicus retinere vellent? quum non minor eſſe poſſet analogia, deminutis iſtis, quàm integris illis, vtendo?

Ex his, atque aliis quæ his adiici poſſent, apparet, Fabium quoquè aliis quàm quibus decebat rationibus analogiam impugnaſſe. Sed quæ adiicit, in aliud tempus, aut fortaſſe in alium huius ipſius opuſculi locum, reſeruanda cenſeo.

Sed nec apud Aulum Gellium (aut Agellium, vt quidam vocare malunt) vllum ex Varronè aduerſus analogiam argumentum firmius affertur, (in eò eius quem ex eo depromptum nobis exhibet loco) quàm ea ſunt quæ apud eum paſsim exſtant, in ea ſcriptorum eius parte quæ ad nos peruenit: ſi vllum tamen in ea eſt quod firmum validúmque appellari queat.

De analogia quædam à Priſciano quoque dicta ſunt, necnon à Diomede, quorum alibi facienda mentio erit: ſicut & eorum quæ de ea apud Iſidorum leguntur. Nunc enim ad ea propero, quæ velut altera pars huius Appendicis erunt: ad ea inquam quibus oſtẽdam, Varronem non ſatis ſtrenuum propugnatorem analogiæ fuiſſe, & ad ea quæ ab eo in defenſionem illius afferuntur accedere multa poſſe.

# CAP. XXII,

à quo incipit

# APPENDICIS AD VARRONIANAS assertiones Analogiæ Latini sermonis

## ALTERA PARS,

## De iis quæ amplius responderi à Varrone pro Analogia poterant.

*Quid respondendum fuerit objicientibus, non esse* ab amando Amitans, *sicut* à cantando *est* Cantitans.

*Responsio de ijs quæ dicuntur componenda fuisse eadem forma qua* tibicen.

*Cur* atrituus *dictum non fuerit sicut* ædituus. *Atque obiter; De ijs à quibus non* ædituus *sed* æditimus *scriptum fuit.*

*Necesse non fuisse dicere* pisciceps, *seruato charactere nominis* auceps.

*De nomine* ærelauinæ.

*Cur dictum sit* ferraria *pro* ferrifodina.

*Cur vocem* lignicidæ *Latina lingua non requireret.*

*Cur* argentifex *non dictum sit vt* aurifex.

*Contra analogiam non facere quòd dicitur* insulsus, *non* insalsus.

TANDEM in rem præsentem (quod me facturum, in superioribus promisi) venio; id est, ad eos Varronis locos me confero, aut quosdam eorum, vbi pro Anomalia aduersus Analogiam quædam rationes adiunctis etiam exemplis afferuntur: ad quas quum responderi posset, (ea in parte vbi argumenta aduersus Analogiam proposita diluit) nullum tamen ab eo responsum habemus. Legimus igitur pagina 96, Neque *in iis quidem* (quum dici solcat Ac nec in iis quidem) *quæ sæpius quid fieri ostendunt, seruant analogiam: ut est à* Cantando *cantitans, ab amando* Amitans *non est.* Ad hoc enim responderi à Varrone poterat, Esto *ab amando* non esse Amitans: at sunt alia frequentatiua (hęc autem ille vocat ea quæ sæpius quid fieri ostendunt) quæ analogiam seruant. nam quo dicitur modo C*antitans*, *à cantando*, eodem dici videmus, *à saltando* (vt in exemplum afferam verbum quo res significatur quæ magna affinitate cum illa est iuncta) *saltitans*: itidémque *à potando* legi scimus *Potitans*. Quinetiam è nonnullis quæ primitiua non sunt, sed ex primitiuis facta, & quæ in frequentatiuorum numero ponuntur, alia frequentatiua habemus, in quibus illam seruari analogiam dicere possumus. Talia autem sunt R*estitans* & P*ensitans*, à *restando* & *pensando*.

Atque vt non procul ab eo loco discedam, *Quum* (inquit) *à tibiis & canendo* Tibicen *dicatur*

(niſi potius *dicatur* ſcribendum eſt) *quærunt, ſi analogias ſequi oporteat, cur non à cithara & pſalterio, & pandura, dicamus* Citharicen, *& ſic alia.* Quid? nonne Varro reſpondere hîc itidem debebat, non eſſe ſolam illam vocem Tibicen, quæ eam compoſitionis formam haberet? ſed pleraſque eſſe tales vt in compoſitione ſeruata dici Analogia poſſet? Sicut enim Tibicen, à tibiis, ſic Tubicen, à tuba: ſic Fidicen, à nomine fides, fidis: ſic Cornicen, à cornu. Sed cur non & Citharicen dictum fuit? Quoniam in promptu erat Citharœdus, ex Græco κιθαρῳδὸς ita factum vt Auloedus ex αὐλῳδὸς. Sed cur non & à *pſalterio* & à *pandura* compoſita, in *icen*, vt illa priora, deſinentia non habemus, neque in *œdus*, vt hęc poſteriora? Ideo fortaſſe quòd nimis dura videbantur futura. Atque ad nomen quidem *pſalterium* quod attinet, ne Græcos quidem in eius cum altero vocabulo compoſitione eodem componendi modo vſos eſſe videmus: ſed pro ψαλτηριῳδὸς, dicere ψαλτῳδὸς maluiſſe. Cur, obſecro, niſi quòd duriuſculum, aut etiam planè durum illud videbatur? At compoſitum Panduricen ex nomine Pandura, non tam quidem durum quàm quod ex altero fuiſſet factum (nam Pſalterijcen, ſeruando analogiam, dicere oportebat) futurum erat: ſed quum minus in vſu illud muſicum inſtrumentum foret, ſic nec vocem ex eius nomine compoſitam in vſum veniſſe minimè mirandum fuerit. Nonnullos tamen ex Varronis poſteris Pandurizare dixiſſe eadem forma qua Citharizare, ſatis conſtat.

Sequitur apud eum, *Si ab æde & tuendo,* AEditus *est, cur ab atrio & tuendo non* Atrituus *sit potius quàm* Atrienſis? Hic reſponderi poterat, quum iam haberet Latinus ſermo hoc Atrienſis, minimè neceſſe fuiſſe ad compoſitionem confugere, quæ vocabulum minus auribus fortaſſe iucundum futurum datura erat. Mirum verò hoc eſt, quum obiectio iſta apertiſsimè oſtendat, *ædituus* ea ætate paſsim receptum fuiſſe, & rationi valde conſentanea ſit hæc appellatio, vtpote quæ etymum cum ipſa re optimè conſentiens habeat: & videamus à Lucretio quoque hoc etymum confirmari, quum *ædituentes* pro *ædituis* dicit: tamen inuentos quibus *æditimus*, non *ædituus*, dicere placuerit: & quidem (quod rem hanc magis miram reddit) in horum numero fuiſſe ipſum Ciceronem. In eius enim Topicorum libro legimus, *Sed quum ipſius* poſtliminij *ius quæritur, & uerbum ipſum notatur: in quo Seruius noſter (ut opinor) nihil putat eſſe notandum, niſi* poſt: liminium *illud productionem eſſe uerbi uult: ut in* finitimo, legitimo, æditimo, *non plus eſſe* timum *quàm in* meditullio, tullium. Hæc quidem ex Seruio Sulpicio iuriſconſulto Cicero: ſed Scæuolæ ſententiam de vocabulo Poſtliminium huic ſubiungit, quæ potior cenſetur: vt ſit factum ex *poſt* & *limen*. Nec minori cum ratione negare fortaſſe poſſet quiſpiam, in *æditimus* vacare ſyllabas iſtas *imus*, eodem modo quo in *finitimus* & *legitimus* (quibus non video cur non addatur *maritimus*) & cum Feſto dicere *æditimus* quaſi *ædis intimus*: ſed cur non potius

alteri ſcripturæ *ædituus* acquieſcemus? etiamſi ex alio eiuſdem Varronis in libris De re ruſtica loco diſcamus, *æditimus* dictum prius fuiſſe, ſed vrbanos ſcripturam illam corrigentes, *ædituus* introduxiſſe: & ſcribat apud Gellium, *æditumum* eſſe recenti nouitate fictum, at *æditimum* antiqua origine incorruptum.

Illis ſubiungit iſta, *Si ab aubus capiendis* Auceps *dicatur, debuiſſe aiunt ex piſcibus capiendis* Piſcaceps: (fortaſſe, *ut* Auceps, adiecerat) *ut* Aucupem, *ſic* Piſcaupem *dica*. At hîc magis etiã quàm in præcedente exemplo ratio in promptu eſt. Nam præterquam quod non durum tantùm futurum erat illud compoſitum, præſertim in gignendi caſu, Piſcaupis, cęteríſque obliquis, ſuppeditabat illis ſua lingua aliud eiuſdem ſignificationis, quod compoſitum non erat, ſed verbale: videlicet Piſcator, à verbo *piſcari*. Sed quid hoc eſt, obiicere, Piſciceps, vt Auceps, non dici? nónne ſatis eſſe debet quòd eadem compoſitionis forma dicuntur & analogiam inter ſe omnia iſta ſeruant, Auceps, Municeps, Manceps, Forceps, necnon Primceps? Nam ſi vt ex Auis & Capere factum eſt Auceps pro Auiceps, ita ex Piſcis & Capere compoſitum aliquod nomen fuiſſet, ſed alia tamen forma (vt ſi, exempli gratia, non Piſciceps, ſed Piſceceps, aut Piſciuceps, dictum fuiſſet) obiectum meritò fuiſſet, non ſeruare inter ſe analogiam iſta, Auiceps (ex quo per contractionem dictum fuit Auceps) & Piſceceps, vel Piſciuceps: ſed dicendum fuiſſe Piſciceps, vt illi Auiceps reſponderet: quum verò illam

compoſitionis viam (vt ita dicam) inſiſtere ſed aliam tenere ad id ſignificandum Latini ſermonis autores volucrint, quis de non ſeruata hîc Analogia queri meritò poſsit?

Exemplum quod ſubiungitur, ſimile ſuperioribus non eſt: quum non ſit itidem analogiæ obſeruationem deſiderantium, ſed nominis impoſitionem reprehendentium. ideóque hîc poſitum fuiſſe miror. Sed nec ſuis fortaſſe locis à librario poſita hæc vocabula fuerunt: quum credibile ſit, illorum reprehenſorum ætate in vſu fuiſſe AErarias, non AErelauinas, de locis vbi lauaretur æs: quum autem AErariæ, ſicut Ferrariæ & Argentariæ iam ſignificationem aliam haberent (de qua paulo poſt dicam) viſum illis fuiſſe compoſito potius vocabulo AErelauinæ vti oportere, ad diſtinguendam ſignificationem vnam ab altera. Quòd ſi hæc ita ſe habent vt ſuſpicor, vera erit mea illa de ſedibus vocabulorum male permutatis ſuſpicio: & ſcribendum fuerit, *& vbi lauetur æs*, AErelauinas, *non* AErarias, *nominari.* nimirum repetendo ἀπὸ κοινοῦ verbum *debuiſſe.* Nam ſi non repetatur id infinitum (vt certè in iis quæ proximè ſequuntur, repeti non poteſt) ſuæ illis nominibus ſedes relinquendæ erunt.

At in eo quod proximè ſequitur exemplo, de non ſeruata analogia queri itidem aduerſarios videmus. *& vbi fodiatur argentum*, Argentifodinas *dici: neque vbi fodiatur ferrum*, Ferrifodinas. Minimè autem ἀπὸ κοινοῦ repetendum hîc quoque fuerit verbum *debuiſſe*: ſed ſubaudiendum di-

cunt, vel obiiciunt, vel reprehendunt, aut tale quid. Sed nonne hîc quoque Varro ſilentium illis imponere reprehenſoribus potuit? Mihi quidem certè habere videor vnde ſilentium illis imponam. Nam quum locus vnde argentum effodiebatur (eſt autem fortaſſe legendum itidem apud Varronem *unde effodiatur* pro *ubi fodiatur*) diceretur duobus nominibus & Argenti*fodina* & Argen*taria*: eodémque modo nomen AEr*aria* diceretur de loco vnde æs effoderetur: quid neceſſe erat Ferri*fodina* potius quàm Ferra*ria* dicere? præſertim quum in hac voce Analogia bellè ſeruaretur? Sed à quo Ferra*ria* dictum fuit? ab ipſo etiam Iulio Cæſare, A*pud eos magnæ ſunt ferrariæ*. Vt taceam interim, poſſe in dubium hoc vocari, an & Ferri*fodina*, ſicut Argenti*fodina* & Auri*fodina* (quod etiam exemplum fortaſſe adiecerat Varro, ſed omiſſum fuit à librario) ipſius etiam Varronis ætate in vſu non fuerit.

Adiicit idem ſcriptor, Qui lapides cædunt, L*apicidas*: *qui ligna*, L*ignicidas non dici*. Eodem quo de voce Pi*ſcicæps* modo, de hac quoque L*ignicidæ* reſpondere potuit: nihil ea opus fuiſſe, nam vt pro compoſito Pi*ſcicæps* habebat Latinitas verbale Pi*ſcator*, ſic pro compoſito L*ignicidæ* eam habuiſſe verbale L*ignatores*, quo illud ſignificari poſſet: quamuis alioqui & de iis diceretur (& quidem magis fortaſſe propriè) qui ad afferenda ligna iam ab aliis deſecta proficiſcerentur. aut brcuius, qui ea afferrent.

Pergens vlterius, venio ad hæc proxima illis

verba, *Neque ut Aurificæm, ſic Argentificæm.* Eodem poterat obiici modo, Neque vt Aurifabrum, ſic Argentifabrum dici. Sed reſpondendum eſſe dico, quum *Aurifex* ſit qui aliquid ex auro facit, & initio aurum tantùm ab artificibus adhiberetur multis operibus quibus poſtea & argentum fuit adhibitum, non mirum eſſe ſi is qui ex argento aliqua faceret, non minus quàm aliqua ex auro, à materia præſtantiori Aurifex, non etiam Argentifex, Aurifaber, non etiam Argentifaber, diceretur.

Sequitur, *Non doctum dici Indoctum: non ſalſum, Inſulſum.* Eſt & alia lectio, *non ſalſum, non Inſalſum.* quam ego non minus probem, ſed interiiciendo verbum *dici*, hoc modo, *non ſalſum, non dici Inſalſum.* Sed quid hoc contra analogiam facit? quædam eſſe compoſita ex nomine & particula *in*, priuandi vim habente, quibus mutatio vocalis interueniat: quædam etiam quæ nullam mutationem patiantur. Nimirum his inter ſe ſua, illis etiam ſua inter ſe analogia ſubeſſe dicenda erit. Suam inter ſe (exempli gratia) analogiam habebunt quæ *a* in *u* mutant, vt illud nomen *Inſulſus*, & verba *Inculco*, *Inſulto*: quum dicantur pro *Inſalſus* pro *Incalco* & *Inſalto*. Ad hoc tamen poſterius verbum quod attinet, poſsit quis obiicere, illam literam *u* non ex *a* ſed ex *i* eſſe factam. Verbi enim *Inſilio* ſupinum eſſe *inſultum*: ex quo fieri *Inſulto*. Quòd ſi exempla quærantur analogiæ per quam vocabula alius vocalis mutationem eodem modo ſunt paſſa, proferri poſſunt quarundam mutationum plurima.

Exempli gratia, vocalis *a* in *i*. ſic enim I*nſipiens* pro Inſapiens, I*nſipidus* pro Inſapidus, I*nimicus* pro Inamicus, I*nſilio* pro Inſalio: itidémque ea quæ hãc ipſam vocalem *i* vel aliam in eandem *a* aut in aliam mutant. Nec minus ſuam interſe habebunt analogiam quæ abſque vlla mutatione componuntur, atque illi I*ndoctus* pro Non doctus addentur iſta, I*ndomitus* pro Non domitus, I*nœrtus* pro Non certus, aliáque quamplurima.

## CAP. XXIII.

*De voce* bubile *in qua analogiam ſeruari negabant: quum dicendum eſſet* bouile, *vt* ouile *&* ſuile *ab oue & ſue dicebatur.*

*Cur nomina* auile *&* ouiarium *neceſſaria non fuerint.*

*Quomodo excuſari poſſet quòd* cubiculum *non* cubaculum *diceretur.*

*Cur* carnaria *&* pellaria *&* calcearia *ſeruando analogiam dicere neceſſe non fuerit.*

*De nominibus* bini *&* bigæ *dictis pro* duini *&* duigæ.

*De adiectiuis nonnullis quæ ex vrbium nominibus facta ſunt.*

*De quibuſdam verbalibus.*

ALIOS ad locos venio qui hunc non magno interuallo antecedunt, quum legantur in duabus paginis quæ præcedunt eam vnde ſumptæ ſunt allatæ ſuperiore capite oppoſitiones. Atque hinc incipio, *Primùm quum dicatur ab oue & à ſue*, Ouile *& Suile, ſic à boue dicitur* Bubile, *non* Bouile. Omitto autem particulam *ut*, quam vulgatæ editiones habent poſt *dicatur*. verùm ſunt & alia in quibus hîc eas non libenter ſequor: ac potius ita legendum eſſe totum locum credo, Primùm, *quum dicatur ab oue & à ſue* Ouile *& Suile, ſic à boue non dicitur* Bouile, *ſed* Bubile. Alioqui, retinendo vulgarem illam ſcripturam, delenda eſſet particula *ſic*, non minus quàm illa *ut*. Sed quum, vtrocunque ſcribatur hic locus modo, ſatis intelligatur quid velit ſcriptor, ſupereſt tantùm vt quid reſpondere ad hæc debuerit, videamus. Debuit (meo quidem iudicio) reſpondere, nomen iſtud Bubile non rectè opponi, tanquam in quo Analogia non ſeruaretur: quum non minus analogicum ſit à *bubus*, Bubile, quàm ab *oue*, Ouile, & à *ſue*, Suile. Vt omittam, veriſimile eſſe, Bouile quoque quoſdam dixiſſe.

Sequentium verborum ordo perturbatus eſſe mihi videtur: ac quum ita ſcriptum ſit, Et *quum ſimile ſit* Auis *&* Ouis, *neque dicitur ut ab aue* Auiarium, *ab oue* Ouile, *ab aue* Auile *non eſt, neque ab oue* Ouiarium: ita ſcribendum eſſe dixerim, Et *quum ſimile ſit* Auis *&* Ouis, *neque dicitur ab oue* Ouiarium, *ut ab aue* Auiarium: *neque ab aue* Auile *eſt, ut ab oue* Ouile. Sed quid huic obiectioni opponendum fuit? Oppoſuiſſem ego, vt ab *auis*

dicitur Auiarium, sic ab *apis* dici Apiarium, (cui & alia possunt adiici) seruata prorsus analogia: & quum iam Auiarium haberet sermo Latinus, eo esse contentum potuisse, miniméque Auile ei addere debuisse: itidémque quum ab *oue* iam Ouile datum ei foret, non fuisse cur Ouiarium insuper habere vellet.

Illis hæc subiunguntur, Et *quum debuerit esse ut à cubatione* Cubiculum, *sic à sessione* Sediculum: *non est.* Interpungo autem post Sediculum: quum, si non interpungatur, non videatur satis cohærens hæc orationis structura esse. Atque his respondeo, debuisse aduersarios Analogiæ præuidere quod sibi opponi poterat. non esse videlicet nullam analogiam inter Cubiculum, à cubatione, & Cœnaculum, à cœnatione, itidémque Habitaculum, ab habitatione: quum verbalia hæc ad eandem classem pertineant ad quam illud Cubatio. nec mirandum esse si Cubiculum, non Cubaculum, dicitur, (sicut in cæteris manere literam *a* videmus) quum præteritum verbi Cubo sit Cubui, potius quàm Cubaui. Quinetiam ad verbalia *cubitio* & *cubitor* respicere debebant, quorum formam sequuntur composita *excubitio* & *excubitor*: ita vt si *cubiculũ* à *cubatione* deducere durum illis videretur, deducere possent à *cubitione*. Quod autem ad illa verba attinet, *sic à sessione sediculum*, primùm quidem dico, existimare me Varronem *à sessione* Sessiculum scripsisse: (alioqui potius, *ut à cubando* Cubiculum, *à sedendo* Sediculum, scripturum fuisse) deinde hoc addo, non debuisse alius coniugationis verbum, sed quod

eiuſdem eſſet, in exemplum non ſeruatæ Analogiæ, opponere. Varronem autem quum dico, vel de ipſo, vel de eo in cuius perſona loquitur, aduerſario, intelligo. Niſi potius de iis aduerſariis dicendum eſt. Cæterùm *sedicŭlum* quod dici negat, ex Paulo iuriſconſulto affertur.

At ea quæ ſubiunguntur, obiectionem habent, quæ eiuſdem generis non eſt cuius & ſuperiores. ſcribit enim, Quoniam taberna vbi venit vinum, *à uino* Vinaria, *à creta* Cretaria, *ab unguento* Vnguentaria dicitur: *αἰαλογικῶς* ſi eſſent vocabula, vbi caro venit, Carnaria: vbi pelles, Pellaria: vbi calcei, Calcearia dicerentur: non Laniena, Pelleſuina, Sutrina. Quid? an ad iſta obmutescendum Varroni fuit? Minimè verò: ſed reſpondendum (mea quidem ſententia) exemplum Analogiæ ab iis ipſis qui Analogiam eſſe negant, afferri in his tribus vocabulis, Vinaria, Cretaria, Vnguentaria, quum ſub eadem terminatione ſimilem omnino vſum habeant: quòd autem tres etiam illæ res quas ſubiungit, nominibus eiuſdem formæ appellatæ non fuerint, minimè mirandum eſſe, quum quæ rebus illis data ſunt nomina illorum loco, magis etiam propria videri poſsint. Sed illud Pelleſuina (vt hoc obiter addam) ſuſpectum mihi eſt: nec tamen in mentem nunc venit quod aptius ſubſtitutum iri putem quàm Pelleſutrina. Atqui ſequitur Sutrina, dicet quiſpiam. Quid tum? nónne idem vocabulum & abſque adiectione & cum adiectione diuerſo vſu dici videmus? Eſt autem illud nomen Sutrina ex iis quæ alia ſibi per Ana-

logiam reſpondentia habent: ex quibus ſunt *Tonſtrina* & *Moletrina*. Quod obiter in Analogiæ aduerſarios dictum ſit.

Conſideremus hæc quæ ſequuntur, Et ſicut eſt *ab uno* Vnus, *à tribus* Trini, *à quatuor* Quatrini: ſic *à duobus* Duini, non Bini, dicerentur: necnon vt Quadrigæ, Trigæ, ſic potius Duigæ, quàm Bigæ. Ego contrà in his quoque, Bini & Bigæ, Analogiam fuiſſe ſeruatam dico, non quidem cum iis quæ hîc cum illis conferuntur, ſed cum duobus quorum alibi mentionem facit, Duellum & Duellona. nam ſicut Bellum pro Duellum, itidémque Bellona pro Duellona, breuitatis cauſa fuerunt dicta, ſic Bini pro Duini & Bigæ pro Duigæ, per Analogiam breuitatis ſtudioſam introducta fuiſſe dicere poſſumus: aut certè illa horum exemplo in vſum veniſſe.

Subiungit, Vocabula quæ *à nominibus* oriuntur, ſi *à ſimilibus nominibus* ſimilia eſſe debent, dicemus, *quoniam* gemina ſunt, Parma, Alba, Roma: Parmenſes: *aut*, *quoniam* ſimilis eſt Roma, Nola, Parma: dicemus, *ut* Romani, Nolani, ſic Parmani. Sed hîc primùm videndum eſſe dico ne poſt *nominibus* omiſſum ſit *propriis*: deinde poſt Parmenſes omiſſa ſint iſta duo illi ſimilia nomina, Albenſes, Romenſes. Verùm & hoc videri mirum poſsit, cur in poſteriore loco Alba omiſerit, aut eius loco Nola poſuerit. Potius certè Alba ibi quoque ſcripſiſſe, itidémque Albani: atque his Nola & Nolani adieciſſe mihi perſuadeo: ad hunc modum, *aut quoniam* ſimilis eſt Roma, Alba, Nola, Parma: dicemus, *ut* Romani, Albani, Nolani: ſic Parmani. Sed de hac adie-

ctione tamen nescio an mihi lector assentietur: de illa priore, qua duo illa vocabula addo, *Albenses*, *Romenses*, cum monebo, quum iam mihi necessariam videri eam dixissem, & quandam editionem deinde consuluissem, in ea fuisse inuentam. Ac de lectione quidem huius loci hactenus: nunc, quid opponendum fuerit, aut saltem quid opponi potuerit iis quæ hîc aduersus Analogiam dicuntur, videndum est. Respondissem ego, non ideo negandum esse seruari Analogiam in his vocabulis quæ à nominibus propriis oriuntur, quòd non vnam eandémque hæc omnia terminationem habeant: sed vt à *Roma*, *Cuma*, *Alba*, *Nola*, habemus *Romani*, *Cumani*, *Albani*, *Nolani*, seruata in hac terminatione Analogia: sic etiam seruari Analogiam in altera terminatione, quę habet non *ani*, sed *enses*. vt enim à *Parma* dicitur non *Parmani*, sed *Parmenses*: sic & aliorum ab aliis vrbium nominibus deriuatorum eandem terminationem inueniri scimus. Crediderim autem dictum potius fuisse *Parmenses* quàm *Parmani*, quòd duriusculus videri posset huius vocabuli sonus, ob nimium ex repetita litera *a* hiatum. Cæterùm ad *Cumani* quod attinet, etiam *Cumæi* in vsu esse non ignoro.

De iis quæ subiunguntur vocabulis, & tanquam anomaliæ exempla, & ipsa proponuntur, posse idem dici existimo. Cur enim non à *Pergamus* dicam *Pergamenus*, vt à *Damascus* dicitur *Damascænus*, & tamen ab *Ilium* non dicam *Ilienus* sed *Ilius*: sicut & à *Troia*, licet eiusdem terminationis non sit, dicitur *Troïus*, non solũ *Troianus*.

Hoc caput isto claudam loco, *Quæ uocabula ducuntur à uerbis, fiunt ut à scribendo* Scriptor, *à legendo* Lector: *hæc quoque non seruare similitudinem, licet iudere ex his: quum similiter dicatur* (sed *non dicatur* lego) vt ab *amando* Amator, *à salutando* Salutator, *à cantando* Cantator. Lego inquam, *quum similiter non dicatur:* quoniam alioqui nullum proponeret eius rei exemplum, quam alioqui in iis quæ affert posse videri dicit. Vult autem id esse Cantator: tanquam videlicet Cantor solùm, quod est *à canendo*, non *à cantando*, esset in vsu. Nec dubito tamen quin eius ætate fuerint qui Cantator dixerint: sicut & quosdam ex eius posteris eo esse vsos videmus. Sed etiamsi vt *ab amando* Amator, & *à salutando* Salutator dicitur, non etiam *à cantando* Cantator, sed tantummodo *à canendo* Cantor diceretur, quid tum? an propterea dicendum esset, ea quæ ab huiusmodi verbis proficiscuntur verbalia nullam inter se Analogiam seruare? Atqui pro vno quod eam non seruare dici posset (si quidem verum illud foret) innumera propemodum afferri possent quæ illam bellissimè seruant. Ex quibus sunt, *à saltando* Saltator, *à uocando* Vocator, *à laudando* Laudator, *à uituperando* Vituperator, *à criminando* Criminator, *à turbando* Turbator. (At Balneator in iis quæ præcedunt *à balneis* deducit.) Quòd si opponere aliqua, tanquam Analogiæ aduersarius, voluisset, quæ aduersus eam facere videri, prima saltem fronte, possent, Iudex & Index proponenda erant, quæ pro Iudicator & Indicator dicuntur. Sed fuisset tamen & ad hæc quod responderi posset,

illa videlicet duo vocabula, *Iudex* & *Index*, non tam verbalium ſpeciem præ ſe ferre, vt quæ in *ator* deſinunt, quàm nominum ex quorum obliquis ipſa verba facta fuerint.

Quum loco illo claudere caput hoc ſtatuiſſem, animaduerti hæc pauca ſupereſſe ad eundem ſermonem pertinentia, Et *quum dicatur*, Laſſus *ſum metendo, ferendo: ex his uocabula* (niſi fortè ſcripſit, *ab his orta uocabula*: vt paulo antè dixit, *uocabula quæ à nominibus oriuntur*) *non reddunt proportionem*: *quod non ſit ut* Meſſor, Fertor. Huic fortaſſe obiectioni opponi poſſet, quum à *metendo* non fiat Metitor, ſed Meſſor: formandi videlicet ex ſupino Meſſum: non videri mirum debere, nec Analogię repugnans, quòd itidem ex verbi Fero ſupino, quod eſt Latum, fiat Lator, pro illo Fertor.

CAP.

## CAP. XXIIII.

*A Varrone quædam afferri vocabula ad impugnandam analogiam, tanquam eo tantùm modo efferrentur, quum ea nonnulli & aliter extuliſſe comperiantur.*

ANTEQVAM vlterius in hac analogiæ defenſione pergam, lectorem de hoc monebo, Varronem quædam afferre in exemplum, ad impugnandam analogiam, tanquam eo tantùm modo efferrentur, quum tamen ea nonnulli & aliter extuliſſe comperiantur. Quis enim dubitet quin non ſolùm *dij* (vt ab hoc nomine initium ſumam) ſed *dei* etiam dictum fuerit? ac minimè ſoli poetæ hoc vſi ſint? At ecce tamen dicentem illum audimus, *Si analogia eſt, inquit,* (niſi *inquiunt* ſcribendum eſt) *cur populus dicit, dij penates, dij conſentes? quum ſit ut* Hic *reus, ferus, deus: ſic* Hi *rei, feri, dei?* Quamuis enim ſcribat, *cur populus dicit*, videtur tamen & eos qui in vulgi & imperitæ multitudinis numero non ponebantur, comprehendere: quum alioqui ſolius vulgi ſermo conſuetudinem non poſsit efficere. Atqui poetas haud veriſimile eſt ita ſuorum verſuum numeris fuiſſe ſeruituros vt non ſolùm *dij* & *dijs* ſed *dei* etiam & *deis* dicerent; niſi nonnulli in ſoluta quoque oratione his vocibus vſi fuiſſent. Neque tamen inficior; vt frequens eſt vſus apud eos huius ſcripturæ *dij* & *dijs* (pro qua

hanc quoque *di* & *dis* exemplaria quædam habent, nominatímque editio Aldina paſsim apud Ouidium) ita vſum alterius infrequentem eſſe.

Fieri autem potuiſſe vt à nonnullis *dei* & *deis*, Varrone tamen neſciente, diceretur, id eo facilius mihi perſuadeo, quòd *dentum* putat dictum fuiſſe tantùm, non etiam *dentium*: quum tamen frequentiſsimum apud quoſvis autores huius ſcripturæ vſum habeamus.

Iam verò & ad genitiuum *ſuium* quod attinet, etiamſi credibile ſit, eo pleroſque vti noluiſſe, & *ſuum* dicere maluiſſe, quòd euphoniæ aduerſaretur (cuius etiam ſtudio analogia interdum velut à recta via deflectit) non defuiſſe tamen qui vt *ouium* & *auium*, ſic etiam *ſuium*, ſeruata analogia, dicerent, mihi fit veriſimile. Quanquam Varroni opponi etiam poteſt fortaſſe, illum genitiuum *ſuum* minimè analogiæ repugnare, quum rectus ſingularis, qui pro ipſa nominis poſitione habetur, ſit *ſus*: cui nihil commune eſt cum *ouis* & *auis*, ſed tale eſt quale *grus*. Quis autem ex *grus* non *gruum* ſed *gruium* proficiſci velit? Ac poterat certè vel hoc à Varrone iis qui illud quoque aduerſus analogiam afferebant, reſponderi. Sed non omittendus interim genitiuus pluralis *deum* pro *deorum*, præſertim quum iam recti *dii* & ablatiui *diis* (qui pro *dei* & *deis* dicuntur) facta mentio fuerit. Dico igitur, non exiſtimare me, ita in vſu fuiſſe *deum* pro *deorum*, vt nemo hoc potius quàm illo genitiuo vteretur: etiamſi hoc ex iſtis eius verbis

colligi videatur. *Item quærunt, si sit analogia, cur appellant omnes ædem deum cœnsentum, & non deorum cœnsentum.* Scio tamen priore loco scribi *cœnsentum*, posteriore, *cœnsentium*: sed non dubium est quin vtrobique vel *cœnsentum* vel *cœnsentium* scribi debeat: quum non de diuersa eius scriptura hîc agatur, sed tantùm de altero genitiuo, qui non trisyllabè verùm disyllabè efferretur. Potuisse autem vel *cœnsentum* vel *cœnsentium* dici, ostendit duplex itidem genitiuus à recto *parentes*, videlicet *parentum*, siue *parentium*, (ipso etiam Varrone id testante) itidémque *ciuitatum*, siue *ciuitatium*: quod magis cuipiam mirum videri possit. Sed ad illud genitiuum *deum* vt reuertar, pro *deorum* (quem genitiui illius vsum ostendere volentes solemus deûm scribere, accentu circumflexo literæ *u* superposito) ne eum quidem (inquam) ita fuisse receptum credibile est, vt alterius nullus omnino vsus esset. Nisi forte *in* hoc nominatim loco, id est, quum genitiuus *cœnsentum* (siue *cœnsentium*) sequebatur, bisyllabum non trisyllabum casum omnibus placuisse intelligit. Alioquin enim quod de *deum* pro *deorum*, idem & de *denarium* pro *denariorum* dico, necnon *assarium* pro *assariorum*. fuisse enim aio & nonnullos qui itidem *denariorum* & *assariorum* dicerent. Alterum enim illum genitiui sonum, in *denarium* & *assarium*, necnon in *deum*, haud omnibus placuisse, vel ex Fabio constare nobis potest: scribente de illis qui molestissima diligentiæ peruersitate (vt ipse loquitur) analogiæ inhærerent, *iidem centum millia num-*

*mum, & fidem deum, ostendant duplices solœcismos esse, quando & casum mutant & numerum.* Quis enim & Varronis ætate non fuisse putet qui non minus suo in sermone religiosi forent? Ita enim de illis loqui malo quàm cum Fabio molestissimam diligentiæ peruersitatem illis obiicere.

Nec verò quæ apud Varronem sequitur aduersus analogiam obiectio, eiusmodi est vt aduersus omnes qui analogiam consectabantur valere dici posset: vt ex eodem rhetore, Fabio inquam, discimus. Dicit enim Varro, in iis quæ proximè sequuntur, loquens in persona eorum qui analogiam è Latinitate excludendam censebant, *Item secundum illorum rationem debemus secundis syllabis longis dicere* Hectorem, Nestorem. *Est enim ut quæstor, prætor,* Nestor, Hector. Ecce autem locum Fabij, quo docet fuisse qui hac etiam in parte analogiæ morigerari volentes, C*astorem* producta media syllaba pronuntiarent. Inde (inquit) illa quæstio exoritur, an eadem ratione per casus duci externa, qua nostra, conueniat. At si reperias grammaticum veterum amatorem, neget quicquam ex Latina ratione mutandum. quia quum sit apud nos casus ablatiuus, quem illi non habent, parum conueniat cum vno casu nostro quinque Græcis vti. Quinetiam laudet virtutem eorum qui potentiorem facere linguam Latinam studebant, nec alienis egere institutis fatebantur. Hæc postquam dixit, illud nomen Castorem, producta media syllaba, in exemplum affert. Inde Castorem (inquit) media syllaba producta pronuntiarunt: quia hoc o-

mnibus noſtris nominibus accidebat, quorum prima poſitio in eaſdem quas Caſtor literas exit. Primam autem poſitionem dicens, nominatiui ſeu recti terminationẽ vult intelligi. Et quum dicit, Qui potentiorem facere linguam Latinam ſtudebant, nec alienis egere inſtitutis fatebantur, intelligit quæ aliarum linguarum conſuetudine recepta ſunt: ſed potiſsimum ad Græcas inflexiones reſpicit: de quibus pergit verba facere, oſtendens, priſcos Latinos & in aliis quę aliter inflectuntur nominibus idem feciſſe. id eſt, & aliis quoque nominibus Græcis ità vſos eſſe vt ea in conſuetudinem Latinam transformarent. Sic enim *Palæmo*, ac *Telamo*, quinetiam *Plato* (non *Palæmon*, & *Telamon*, & *Platon*) dictum fuiſſe. Itidémque in prima declinatione AEneæ & *Anchiſa*, antiquorum pleroſque, non AEneas & *Anchiſes* extuliſſe: poſtea verò Cœlium *Pelia*, Meſſalam *Euthia* dixiſſe, ipſúmque Ciceronem *Hermagora*. Sed mirum eſt, (vt de hoc obiter moneam) apud Fabium, loquentem de terminatione ea horum Græcorum primi ordinis nominum, quæ poſtea recepta fuit, non diphthongo æ ſed tantùm litera e terminari dici. Nec miremur (inquit) quòd ab antiquorum pleriſque AEneæ & *Anchiſa* ſit dictus. Nam ſi vt *Mæcenas*, *Suffenas*, *Aſprenas*, dicerentur, genitiuo caſu non e litera ſed *tis* ſyllaba terminarentur. Quid? an putabimus AEnee & *Anchiſe* nonnullos, ac non potius AEneæ & *Anchiſæ* omnes (qui quidem Græcas declinationes Græcis nominibus dare maluerunt) dixiſſe? Equidem non illud, ſed

hoc, crediderim. Quòd si tamen nonnulli in e, non in æ, genitiuum hunc desinere voluissent, facienda interim mentio eorum quoque erat qui diphthongum ibi ponebant. Hinc fit vt Fabium scripsisse existimem, *non æ literis, sed tis syllaba terminarentur.* Ne hoc quidem tacebo, colligendum videri ex iis quæ hîc à Fabio scribuntur, eos qui AEneas dixerint, Anchisas etiam dixisse: (quemadmodum veteres sicut AEnea, ita & Anchisa dixerant) quum ad vtrunque pariter respiciat in his quę subiungit, *Nam si ut Mæcenas*, &c. Apud Maronem tamen AEneas quidem, & interdum in accusandi casu AEnean, (seruata & hîc Græca terminatione, quum alioqui semper AEneam dicendum fuisset) sat Anchises, non Anchisas: ac in accusatiuo pariter Anchisen (sed quędam editiones habent & Anchisem: illam autem scripturam ibi demum vbi non fit elisio, vt hîc, *—uetærem Anchisen agnoscit amicum*) in vocandi tamen casu Anchisa, sicut & in auferendi. Sed in hunc versum, *Coniugio Anchisa Veneris dignæ superbo*, vbi vocandi casum esse videmus, annotatur à Seruio, vocatiuum non esse Latinum, quoniam breuem esse literam *a* oporteret, vt in vocatiuo Catilina. Esse igitur Græcum casum. Quinetiam addit, de eo valde quæri apud Græcos, quomodo exeat ab iis nominibus quæ in es mittunt nominatiuum. nam Tydides Tydide facit (inquit) vt, *Danaûm fortissime gentis Tydide*: Atrides quum sit simile, Atrida facit: vt Horatius, *Nequis humasse uelit Aiacem Atrida uetas ar?* Atque his subiungit, apud Latinos horum

nominum cauſam eſſe manifeſtam, quæ nominatiuum ipſum in *a* mittunt, & recipiunt Latinam declinationem: vt *Atrides*, *Atrida*: *Scythes*, *Scytha*. Cui loco fortaſſe aliquid mendi ſubeſt. Sed videmus interim, ad rectum quod attinet, Maronem AEneas quidem dixiſſe, mutuantem declinationem Græcam, at nequaquam & Anchiſas: (vt fuiſſe dictum, innuere Fabius videtur) & iure quidem, quum id neque ſit in Latina declinatione manere, neque Græcam mutuari.

Venio ad aliam obiectionem aduerſus analogiam, omnino illi ſimilem quam ex Varrone attuli, cur analogiæ amatores non dicerent *Hectorem*, *Neſtorem*, producta media ſyllaba, vt *quæſtorem*, *prætorem*. Eodem enim modo obiectum his fuit cur non dicerent *Calypſonem*, vt *Iunonem*, ſed *Calypſo*. Ac videmus certè Maronem *Dido* in accuſandi caſu, ea forma qua Calypſo, dixiſſe, --*& nomine Dido Sæpe uocaturum*. Poteſt tamen accipi & tanquam in vocandi caſu dictum. Sed apud Naſonem non eadem eſſe dubitatio poteſt, vbi canit, --*miſer ámque relinquere Dido?* Sic & apud Silium, *Térque ſuam Dido ter cum clamore uocabat*. Sic *Io* in accuſandi caſu apud Naſonem, *Sappho*, non *Sapphonem*, apud Horatium. Sic verò & *Didûs* in genitiuo dictum fuit, eodémque modo *Sapphûs*: & *Mantûs*, à Marone. Nec dubium eſt quin eodem declinaturi modo fuerint iſta eiuſdem formæ nomina, *Clio* (nam & huic genitiuus datur *Cliûs* à Naſone) *Clotho*, *Alecto*, *Xantho*, *Drymo*, atque alia. Sed priſcos tamen in his Latina declinatione potius

vſos eſſe, vel exhoc Ennij hemiſtichio cognoſcimus, —*Pœnos Didone oriundos*. Sic autem & ex Liuio Andronico affertur, *Apud nympham Atlantis filiam Calypſonem*. Verùm & plerique illorum qui longo annorum ſpatio à priſco illo Ennij ſeculo abfuerunt, & quidem qui ipſo etiam Cicerone multo poſteriores fuerunt, declinationem Latinam Græcis huius formæ nominibus dare maluerunt in ſoluta oratione. Credibile eſt autem eos C. Cæſaris potiſsimum autoritate motos fuiſſe, qui ſequutus antiquos, hac ratione declinandi vſus eſt: vt teſtatur Fabius. Hic nanque, poſtquã ſcripſit, Neque enim iam Calypſonem dixerim, vt Iunonem: addit, Quanquam ſequutus antiquos C. Cæſar vtitur hac ratione declinandi. Credibile eſt autem ex Cæſaris de analogia libris petitum hoc eſſe.

Ex his autem perſpicere eſt quanta fuerit de Latina illorum nominum declinatione controuerſia. nam & Priſcianum à Fabio diſſentire videmus, ſcribentem, nomina Græca in *o* longum terminata, Latinè vel per *ius* flecti, vel per *onis*. Fabius tamen non ſuum tantùm, ſed aliorum etiam (quos tamen recentiores appellat) iudicium ſe hac in re ſequi oſtendit: quum dicit, recentiores inſtituiſſe Græcis nominibus Græcas declinationes potius dare. Quod tamen ipſum non ſemper fieri poſſe, fatetur: atque addit, Mihi autem placet Latinam rationem ſequi quouſque patitur decor. Atque interiectis iis quæ de accuſatiuo Calypſonẽ attuli, & de C. Cæſare vtente hac ratione declinandi, ſubiungit, Sed

autoritatem consuetudo superauit. Vbi vel autoritatem ipsius Cæsaris intelligit, (quæ certè non parua esse poterat, præsertim si eam declinationem approbauerat vbi de analogia agebat) vel autoritatem ipsius grammatices: sed potius de autoritate Cæsaris intelligendum esse crediderim. Neque enim inter grammaticos tunc conueniisse credibile est, dicendum potius esse Calypsonem: licet eadem ratione ab analogia requirere hoc possent eius aduersarij quæ Hectorem media longa dici postulabant: & maiore etiam cum ratione fortasse. Nam, vt liberè dicam & ipse quod sentio, animaduerto quidem aliquid incommodi in quibusdam nominibus qualia sunt, Calypso, Dido, si Græca declinatione relicta in Latinam transformentur: (cuiusmodi incommodum est in *Io*: quum hi obliqui, *Ionis*, *Ioni*, *Ionem*, non minus à Græco nomine *Ion*, quod viri nomen est, esse possint) sed vicissim, volentibus Græcam declinationem sequi Latinis, quantum incommodi (nisi potius quantum difficultatis dicendum est) afferet Græcus dandi casus, quum Latinorum auribus repræsentandus erit? nam pro Διδοῖ quid dicet ille qui neque *Didonis*, neque *Didonem*, sed *Didûs* & *Dido* dicere voluit? nónne nihilominus dicere *Didoni* cogetur? Atque idem in aliis omnibus datiuis qui sunt à nominibus eiusdem familiæ, eueniet. vt in Καλυψοῖ, Σαπφοῖ, Ἰοῖ, Μαντοῖ, Ἀλεκτοῖ, & aliis. Quod autem de datiuo, idem & de ablatiuo dico. quum enim sæpe hic dandi casus Græcorum per ablatiuum (quo Græci ca-

rent) repræsentandus sit, quid fiet vbi hæc necessitas incumbet? Si (verbi gratia) Herodotum ἐν Κλιοῖ hoc vel illud narrare, dicere Latinè velim, quomodo aliter, quàm dicens *in* C*lione*, loqui potero?

At verò ad alterum illum nominum ordinem quod attinet, qualia sunt Hector, Nestor, & Castor, minus rationi consentaneum fuisse videtur, postulare ab iis qui analogiæ assertores esse volebant, vt in illis Latinam declinationem sequerentur, quum declinationis mutationem alia etiam mutatio, quæ videri ridicula poterat, comitaretur: qua videlicet syllaba breuis in longam vertebatur. Hanc certè mutationem & Lucilio adeo displicuisse legimus, vt sibi temperare ab irridendo poeta Accio (siue Actio, vt alij scribunt) nō potuerit, quòd ea in nomine ipsius Ἔκπρος vteretur. Ex his patet, nec Varronem nec alios reprehendere debuisse eos qui analogiæ adhærebant, quòd Græca nomina in Latinam consuetudinem non transformarent, vt αἰακός Latinis efferrentur.

Cæterùm, vt in capitis huius clausula eum à quo ipsum exorsus sum sermonem repetam, Varronem quædam adducere, ad impugnandam analogiam, tanquam eo tantùm modo efferrentur, quum tamen ea nonnulli & aliter extulisse comperiantur, meminisse lectorem velim non eorum tantùm quæ in exemplum attuli, sed & quorundam, facta quorū à me est mentio in superioribus, pag. videlicet 119, necnon 124, & 127. quibus & alia addentur.

## CAP. XXV.

*De iis quæ à Varrone, libro* VIII, *respondentur ad nonnulla quibus analogia impugnatur.*

*De aliis quæ responderi ad quædam eorum poterant.*

*Emendati quidam Varronis loci.*

VARRONEM libro demum octauo ad ea respondere scio quæ aduersus analogiam afferri dixit: ideóque in hoc demum libro ei ad ea respondendum fuisse, siue opponendo illis ea quæ opponi potuisse ostendi, siue alia quæ non minoris quàm ea ponderis esse videri possent. Ideóque in principio capitis XXI, quum dicerem, me in rem præsentem venire, quòd ad eos iam venirem Varronis locos, aut saltem quosdam eorum, vbi pro Anomalia aduersus Analogiam quædam rationes, adiunctis etiam exemplis, afferuntur, ad quas quum responderi posset, nullum tamen ab eo responsum habemus: haud contentus fui dicere, quum responderi posset, verùm addidi, ea in parte vbi argumenta aduersus Analogiam proposita diluit. Hoc quum ita sit, an id nunc faciat videndum est: vel potius videndum vt non ea, verùm alia quædam refutare conetur: quorum nonnulla minimè refutari, haud tanti intererat. Incipit autem à pagina octaui huius libri secunda.

Nunc iam primùm dicam (inquit) pro vniuerſa analogia, cur non modo videatur eſſe non reprehendenda, ſed etiam cur in vſu quodammodo ſequenda. Secundò, de ſingulis criminibus, quibus rebus poſsint quæ dicta ſunt contra ſolui. Dicam ita vt generatim comprehendam & ea quæ in priori libro ſunt dicta, & ea quæ poſſunt dici, & ea quæ illic præterij. Cæterùm antequam longius progrediar, hîc quoque de corrigendo quod in principio huius loci tibi occurret mendo, te monebo. quum enim ſcriptum ſit hac in editione, ſicut & in quibuſdam aliis, *cur non modò uideatur eſſe reprehendenda*, nõ dubium eſt quin ea ſequi exemplaria oporteat, in quibus legitur, *cur non modò uideatur eſſe non reprehendenda*: minimèque exiſtimare, fieri poſſe vt *non modò reprehendenda* dictum ſit à Varrone, ſignificare tamen volente *non modo non reprehendenda*. Quamuis autem mirum videri poſsit, criminum hîc ab eo fieri mentionem, tanquam ea quæ aduerſus Analogiam allata ſunt, ſint crimina illi obiecta, tamen & pag. 108, odioſo illo vocabulo vtitur, Quare quod ſequitur (inquit) de partibus ſingulis, deinceps expediemus: ac ſingula crimina quæ dicunt in analogias, ſoluemus. Obſeruandum autem & iſtud, quum in illo priore loco promiſiſſet ſe dicturum *pro uniuerſa analogia*, hîc vbi ait ſe præſtitiſſe quod promiſerit, *uniuerſalem cauſam* id vocare: ſed addentem, *cur ſimilitudo & ſit in oratione & debeat obſeruari, & quam ad finem quoque*. Verùm & hoc animaduertendum eſt, plus ab eo hîc quàm illic di-

ci: quum ibi dicat quidem ſequendam eſſe, verùm quodammodo. Suam autem refutationem his à verbis orditur, Primùm quod aiunt, qui bene loqui velit, conſuetudinem, non rationem ſimilitudinum ſequi oportere: quòd alt. ſi negl. &c. qui locus quum mendoſus ſit, quomodo emendandum cenſeam, in præcedentibus docui. Eò igitur te remittens, & ad quædam eorum veniens quibus ſingula crimina (vt ab eo appellari dixi) diluere ſibi videtur: ab iis ſumam locis initium vbi ad nonnulla reſpondet quæ vix reſponſo dignari debuiſſe videtur: præſertim quum ad alia quæ multo maioris erant ponderis, magíſque vrgebant, obmuteſceret. Sed quid maioris ponderis dico? quaſi verò quæ nullius ponderis ſunt, minoris eſſe ponderis dici debeant. In hoc autem numero eſt iſta obiectio, non dici, *Mane*, *manius*, *maniſſime*. Quod rogant (inquit) cur non dicamus, *Mane*, *manius*, *maniſſime*: item de veſpertino tempore: verè magis & minus eſſe non poteſt, ante & poſt poteſt. Sed emendãdus hic locus eſt, & pro *uerè* ſcribendum *ueſpere*. Ac fortaſſe etiam vera hæc eſt totius loci ſcriptura, (ſed ignoſcat lector ſi quid παρεκπιπτόντως coniectura mea loquetur) *Quod rogant cur non dicamus* Mane, *manius*, *maniſſime*: *item de ueſpertino tempore*, Veſpere, *ueſperius*, *ueſperiſſime*: (niſi tamen potius *ueſperrime* dixerit vt *ueterrime* à *ueter* diceretur) *mane aut ueſpere magis & minus eſſe non poteſt*: *ante & poſt poteſt*. Fortaſſe autem & in ſequentibus peccatum eſt, ac quum ſcriptum ſit, *ſed magis mane ſur-*

*gere tam dicitur qui primo mane surgit, quàm qui non prior*, ita scribendum est, *sed mane surgere tam dicitur qui primo mane non surgit, quàm qui primo*. Et pro VT *enim* scribendum crediderim ETENIM. ac forsitan & quæ cum his cohærent, mendo non carent, sed ita scribi tota periodus debet, ETENIM *dies non potest esse magis dies primo quàm nouissimo mane*. Nisi fortè pro *nouissimo* alia quapiam voce huiusmodi vsus est: licet habeamus paulo post *nouissimum uesper*. In iis autem quæ proximè sequuntur ista, VT *enim dies non potest esse magis quàm mane* (quæ & ipsa dixi quomodo emendanda censerem) quum legatur, ITAQUE *ipsum hoc quod dicitur magis*, &c. non video quî aptam habere sedem dici possit aduerbium *itaque*. quoniam non videtur ex præcedentibus colligi seu inferri posse quod subiungitur. Malim igitur, ATQUE *ipsum hoc quod dicitur magis*, &c. Ideo autem dicit vocabulum hoc *magis* tibi non constare, (quasi non seruans constantiam, sed à seipso dissentiens) quoniam quum dicitur *magis uespere*, eum mutat vsum quem habet quum dicitur *magis mane*. Ac de huius quidem loci lectione & sententia hactenus, quantum assequi coniectura potui: cui non tam fido, quàm spero occasionem cuipiam melius aliquid eum in locum afferendi præbituram.

Cæterùm & alio in loco harum vocum *mane, manissime*, fit mentio. Is locus est circa finem libri septimi, pag. huius editionis 99. Inuenimus autem & ibi alia vix digna (meo quidem iudicio) quę afferrentur, multo autem minus, ad

quæ reſponderetur. Sermonis initium eſt in fine paginæ 98. Ibi enim pollicetur ſe deinceps dicturum de altero genere vocabulorum in quo contentiones ſunt: vt Album, albius, albiſſimum. (*contentiones* autem de comparationibus dicit) Quibus ſubiungit, In quo (videlicet genere vocabulorum) eam analogiam non ſeruari apparet. nam quum ſit ſimile, Salſum, Caldum: & dicatur ab his Salſius, ſalſiſſimū, Caldius, caldiſſimum debuit dici. Tādémque paucis interiectis ad *bonius* & *malius*, itidémq; ad *boniſſimum* & *maliſſimum* venit: ac paruo interuallo ad illa quæ iam libro octauo protuli, *Mane, manius, maniſſime*. Sed quum nonnulla exemplaria quaſdam ibi voces habeant, non minus nouas, & quæ ne fingi quidem, niſi ἀπόπως, videntur potuiſſe, & eas lectori hæc editio non exhibeat: hę quoque à me nunc proferentur. Sunt autem hæ, *Optum, optius, optimum*: &, *Melum, melius, meliſſimum*. Verùm totus mihi repræſentandus eſt locus: vt non ſolùm cui eius parti illa inſerantur verba oſtendam, ſed eadem opera & quædam in eo ex coniectura emendem. Primùm igitur, vbi legimus, *Nam quum ſit ſimile Salſum, Caldum: & dicatur ab his Salſius, ſalſiſſimum, Caldius, caldiſſimum debuit dici. quoniam ſimile eſt Bonum, Malum: ab his Bonus & Malius, Boniſſimum & Maliſſimum: nonne dicimus Bonum, melius, optimum? Malum, peius, peſſimum?* Quum (inquam) hæc ita ſcripta habeamus, ego hæc verba, *debuit dici*, quæ cum præcedentibus iunguntur, ad ſequentia pertinere & cum illis iungi debere exiſtimo. cur enim di-

ret debuisse dici *caldius*, *caldissimum*, tanquam minimè in vsu essent, quum sciamus, contrà non minus in vsu quàm *salsius*, *salsissimum*, quæ proximè præcedunt, fuisse? Adde quòd vbi legitur, *& dicatur ab his, salsius, salsissimum*, scribi debuerat non *ab his*, sed *ab hoc*. In sequentibus autem, videlicet ante hæc verba, *nónne dicimus*, deesse puto particulam *atqui*, aut *sed*: vel scribendum esse, *nónne tamen dicimus*. Totum denique hunc locum ita scribendum censeo, *Nam quum sit simile Salsum, Caldum: & dicatur ab his Salsius, salsissimum, Caldius, caldissimum: debuit dici, quoniam simile est Bonum, Malum, ab his Bonius & Malius, Bonissimum & Malissimum. atqui nónne dicimus Bonum, melius, optimum? Malum, peius, pessimum?* Huius autem loci malè interpungendi & corrumpendi occasionem id præbuit vnde & alios deprauari contigit: quòd nimirum inuersus sit quodammodo verborum ordo: aut, si mauis, quòd non recto & magis vsitato ordine verba sint collocata. Scribendum enim alioqui fuisset, Nam quum sit sim. Sal. Cal. & dicatur ab his Salsius, salsissimum, Cald. caldissimum: quoniam simile est Bonum, Malum (ita enim vbique loqui solet Varro, Simile est hoc & illud, pro eo quod dicendum esset, Similia sunt hoc & illud) ab his debuit dici Bonius & Malius, Boniss. & Malissimum.

Venio ad ea quæ sequuntur, vt ostendam vbi sedes illis adeo nouis vocibus in quibusdam libris detur. In *aliis uerbis* (inquit) *nihil deest: ut* Dulcis, *dulcior, dulcissimus: in aliis primum, ut* Peius, *pessimum:*

*simum: in aliis medium, ut* Cæsus, *cæsissimus: in aliis bina sunt quæ sint ab eadem uoce declinata, & ea ita ut aliâs desint secundum & tertium, ut in hoc,* Mane, *manius, manissime: alias, ut duo prima absint, ut* Optimum: *aliâs, ut primum & tertium desit, ut* Melius. Quum enim locus iste in hac editione, sicut & in plurimis libris, ita scriptus sit, nonnulli reperti sunt vbi ita legitur, *aliâs, ut duo prima absint, ut* Optum, *optius, optimum: aliâs, ut primum & tertium desit, ut in hoc,* Melum, *melius, melissimum.* Videtur autem huic lectioni fidem facere quod præcedit, & libro etiam octauo legitur, Mane, *manius, manissime.* Sicut enim hîc non ea tantùm vox quæ in vsu est ponitur, sed & duæ, quæ fictæ sunt, illi adiunguntur, ita & in sequentibus fieri videmus, lectionem illam sequendo. Prius tamen venerat mihi in mentem ita legere, *ut in hoc,* Mane. *nam* Manius, *manissime,* non dicitur. Itidémque in sequentibus scribendum esset, *ut optimum. nam optum, optius non dicitur.* eodémque modo, *ut melius. nam melum & melissimum non dicitur.* Sed quorsum Varro ista non dici nos monet, quum id omnibus longè sit notissimum? & quum ista vocabula, bàrbara putidáque sint? Hinc oriri posset dubitatio an fidendum sit iis libris vbi ea leguntur. sic tamen vt quæ de his erit dubitatio, de illis etiam sit, *manius, manissime.* Nam quod ad illum libri octaui locum attinet vbi eadem habentur, excusationem mereri dicî fortasse potest, quòd ibi non in sua sed aduersariorum persona illa proponat. In mea tamen illa sententia interim perseuero, quam initio hu-

ius capitis proposui, non debuisse illum vel responso illam obiectionem dignari.

Ad illum octauum rediturus librum eram, & in ea quorum mentionem initio huius capitis feci inquisiturus: sed quum in ea ipsa pagina vnde iam aliquot menda sustuli, supereſſe quędam viderem quibus pariter emendatione opus esset, hanc prius operam à me lectori nauandam esse censui. In huius igitur paginæ fine, vbi legimus, *Magnitudinis uocabula quum possint esse terna, ut Cista, astula, astella: in mediis non sunt: ut in his, Maer, macricolus, macellus: Niger, nigricolus, nigellus:* dico primùm quidem alteram hanc lectionem (siue ex aliquo exemplari, siue etiam è coniectura tantùm profecta sit) esse sequendam, *in aliis media non sunt, ut in his, maer*, &c. sicut paulò pòst dicit, *Item minima in quibusdam non sunt.* media vocans (nisi fallor) quale est *astula.* est enim velut medium inter *asta* & *astella*: minima autem appellans, quale est *astella.* Sed afferens in exemplum duo nomina quæ media non habent, dicit, vt in his, *Maer, macricolus, macellus: Niger, nigricolus, nigellus*: vbi necesse est vt eam vocem quæ est inter *maer* & *macellus*, necnon eam quæ est inter *niger* & *nigellus* ex iis quas vocat medias, esse intelligamus: sicut *auicella* & *capitellum*, ex iis quas minimas appellat. Sed ad medias illas voces quod attinet, eæ sunt ita deprauatæ vt vel ipsa Latinitas ad eas possit obstupescere, nedum eas velit pro suis agnoscere. Quid enim aliud de hisce duobus vocabulis *macricolus* & *nigricolus* possim dicere? Videat

igitur lector an meæ sit coniecturæ acquiescendum, quæ *macricolus* & *nigricolus* in *macrulus* & *nigrulus* vertit. Quum (inquit Varro, si quidem coniectura mea non fallitur) magnitudinis vocabula esse terna possint, vt *Cista, cistula, cistella*: in aliis media non sunt: vt in his, *Macer, macrulus, macellus*: *Niger, nigrulus, nigellus*. Iam autem didicisse potuit lector ex aliis qui allati fuerunt in hoc capite Varronis locis, in quibus certa quædam vocabula in exemplum proponit, eum illis quæ in vsu sunt ea quæ pro inusitatis atque adeo inauditis affert, intermiscere, minimè ab illis hæc distinguentem. Ita igitur hîc, vbi legimus, *Macer, macrulus, macellus*, deinde, *Niger, nigrulus, nigellus*, duas hasce voces *macrulus* & *nigellus* (si emendatio mea non fallitur) eæ sunt quæ quum mediæ esse deberent, nequaquam tamen in vsu sunt. Cęterùm pro eo quod magnitudinis vocabula hîc dicit, alibi legimus vocabula vbi magnitudo animaduertenda est in vnoquoque gradu.

Subiungit, *Item minima in quibusdam non sunt* (quum sequi deberet, *in aliis minima non sunt*: sicvt præcesit, *in aliis media non sunt*. sed ita sæpe Varro sermonis formam in posteriore membro mutat: quod animaduertendum est) vt *Auis, auicula, auicella*: *Caput, capitulum, capitellum*. vbi etiam satis manifestum habes exemplum eius consuetudinis Varronis cuius modò mentionem feci, miscendi vsitatis ea quæ in exemplum affert illorum quæ minimè in vsu sunt. nam hîc *auicella* & *capitellum* pro exemplis proponit eo-

rum quæ minima vocat & quę in vſu eſſe negat. Sed ego hîc in Analogiæ defenſionem duo reſpondeo: vnum quidem, ſatis eſſe ſi quædam nomina ſint è quibus hæc minima ἀναλόγως deducta ſint (quod de *naviælla* & *mitælla*, factis ex *navis* & *mitra*, necnon de quibuſdam aliis dici poteſt) alterum, veriſimile eſſe, Varronem hîc ſicut & quibuſdam aliis in locis (de quibus antea monui) negaſſe in vſum recepta quædam eſſe vocabula quæ tamen is recepiſſet. Nam cur *æpitællum* non iam tum in vſu fuiſſe putabimus? cur *auiælla* inuſitatum fuiſſe credemus, ſi *naviælla* (quod ei ἀναλόγως reſpondet, præſertim quum auis etiam & nauis ſimillima ſint) vt poſtea in vſu fuit, ita fuiſſe tum quoque vſitatum exiſtimabimus? Eſt verò & quiddam tertium quod, ad patrocinandum Analogię, afferre poſſum: eam, euphoniæ rationem habere volentem, de ſuo interdum iure aliquid remiſiſſe, & quædam vocabula aut formare ex aliis, aut formata in vſum adducere noluiſſe, quòd duriuſculus eorum ſonus futurus eſſet. Exempli gratia, de Analogia querenti cuipiam quòd duo illa quæ media Varro appellat, *macrulus* & *nigrulus* (ſi emendatio mea ὄνηχος fuit) Latinitati non dederit, eam dare potuiſſe, ſed quòd aures offendere vereretur, dare noluiſſe. Ac eadem de cauſa hæc duo media *ploſtrulum* & *mitrulam* non libuiſſe illi in Latinam linguam introducere dixerim, ſed minima hæc (vtor & hîc Varroniano vocabulo) voluiſſe illi ſatis eſſe, *ploſtellum* & *mitellam*. Quod quamuis dicam, non ignoro, ex

recentioribus ſcriptoribus quendam, Solinum nomine, *mitrulam* dicere auſum eſſe.

Sed in eo forſitan de Analogia loquutum me quis putabit ſecus quàm decebat, quum eam dixi illa vocabula Latinitati dare noluiſſe: & hoc eam ius habere, quinetiam de euphonia ſolicitam eſſe negabit. Illi ego non magnopere repugnabo, ſed fatebor, Analogiam multas etiam voces formaſſe quas Latino ſermoni, euphoniæ amatori, propoſuerit, ſed quas huius conſuetudo non receperit, *Quam penes arbitrium eſt & ius & norma loquendi.*

## *CAP. XXVI.*

*De quibuſdam aliis quæ à Varrone eodem libro reſpondentur in defenſionem analogiæ: & de iis quæ ab eo inſuper reſponderi poterant.*

*Admonetur lector de quibuſdam quæ deprauata ſunt, aut eſſe videntur, apud Varronem.*

LEGIMVS eodem in libro, Item cur non ſit Analogia afferunt, quod à ſimilibus ſimilia non declinantur. ut ab Dolo & Colo. Ab altero enim dicitur Dolaui, ab altero Colui. Et paucis interiectis, Igitur in uerbis temporalibus quum ſimilitudo ſæpe ſit confuſa, ut diſcerni nequeat, niſi tranſieris in aliam perſonam, aut in tempus, quæ propoſita ſunt, non eſſe ſimi-

*lia intelliguntur, quum transitum est in aliam perſonam*: *quod alterum est* Dolas, *alterum* Colis. Sequor autem hîc exemplaria in quibus legitur *non esse ſimilia*, non ea quæ habent *nosse*, *ſimilia*, interpunctionis nota inter haſce duas voces poſita. Verùm & de hoc moneo, verba illa, *quum ſimilitudo ſæpe fit confuſa*, videri poſſe mutanda in iſta, *quum diſſimilitudo ſæpe ſit confuſa*: quoniam ſequitur non magno interuallo, *ad diſcernendas ſimilitudines*. diſcernuntur autem quæ ſunt confuſa.

Sed venio ad illos analogiæ aduerſarios, & dico, Varronem debuiſſe, potuiſſe quidem certè, illis ad hanc obiectionem reſpondere, non ideo non eſſe analogiam, quòd quamuis ſimilia ſint *Dolo* & *Colo*, non ſimilis tamen ſit eorum declinatio: quippe quum ab illo, *Dolaui*, ab hoc, *Colui* dicatur: ſed contrà, in duas eſſe claſſes diſtributa quę hanc terminationem habent, & ſeruari in vtraque analogiam: quum vt dicitur *Dolo*, *dolaui*, ita etiam dicatur, *Volo*, *uolaui*, *Celo*, *celaui*, *Colo*, *colaui*, *Vallo*, *uallaui*: atque vt ex *Colo* fit *Colui*, ita etiam ex *Alo* fiat *alui*, ex *Volo* fiat *uolui*. Quanquam non vſquequaque ſeruari analogiam fateor in hoc *Volo*, vt ſeruatur in illo *Alo*. nam vt à *Colo*, eſt *colui*, *colere*: ſic ab *Alo* eſt *alui*, *alere*: at verò à *Volo* eſt, *uolui*, *uelle*. Fuit autem & iſtud verbum *Volo* ab aduerſariis analogiæ aduerſus eam allatum, quòd ab eo fieret tam *uolare* quàm *uelle*. Nam pag. quæ hanc proximè precedit, legimus, Fit enim vt rectus nonnunquam ſit ambiguus: vt in hoc verbo *Volo*: quòd id duo ſignificat: vnum, à voluntate, alterum à volan-

do. Itaque à volando intelligimus & volare & velle. Habetur autem & apud Fabium hæc aduersus analogiam obiectio, quòd à Volo sit non minus Velle quàm Volare. Eius verba sunt, *Quid uero, quæ tota positionis eiusdem in diuersos flexus exeunt? quum* Alba *faciat* Albanos *&* Albenses, Volo, *uolui & uolaui?* Vbi obserua in exemplum afferri & illa duo nomina, *Albanos* & Albenses, quæ à Varrone quoque afferuntur. *Ab ijsdem uocabulis* (inquit) *dissimilia fingi apparet: quòd quum duæ sint* Albæ, *ab una dicuntur* Albani, *ab altera,* Albenses. sed ita loquendo, videri potest simul analogiam defendere, dissimilitudinis causam ostendendo. Verùm ad alterum illum Varronis locum vt reuertar, non video certè quomodo carere mendo locus hic dici queat, quum rectus appellari soleat is casus qui & nominatiuus seu nominandi casus vocatur: ideóque haud posse verbo tribui videatur. Hinc fit vt inter vocem *ambiguus*, & has, *ut in hoc uerbo*, deesse nonnulla existimem.

Ne il quidem mihi satisfacit quod respondet ad quandam oppositionem in fine paginæ 122, *Item reprehendunt quidam quod putant idem esse* Sacrifico *&* Sacrificor, *&* Lauat *&* Lauatur. *Quod sit, annon*, (perinde est autem ac si diceretur, quod siue sit, siue non) *nihil commouet analogiam, dum* Sacrificor, *qui dicat, seruet* Sacrificabo, *& sic per totam formam: nec dicat* Sacrificandus, *aut* Sacrificatus *sum: hæc enim inter se non conueniunt.* Est autem obiter hoc in loco obseruandum quod ab eo dicitur, *nihil commouet analogiam.* Atque ex his

intelligendus quidam locus quem nobis exhibet extrema pagina 108, *Non quòd id quod significant uoces commoueat, sed quòd nonnunquam in re dissimilis fig.* &c. hîc enim intelligendum puto commoueat analogiam. Verùm ad illud Varronis responsum vt redeam, quod mihi satisfacere nego, siqui obiiciebant significari interdum idem vtraque voce in verbo illo, (quod tamen nescio an aliquo hodie exemplo confirmari possit) debuit considerare, alia etiam esse verba in quibus idem fiat: id est, in quibus sub passiua quoque voce actiuam significationem habeamus. Ideóque videtur potius de omnibus respondendum simul fuisse, hoc non commouere analogiam, (vt illa eius phrasi vtar) quòd certum quendam verborum numerum haberet, quibus æquè hoc iuris daret. Sunt autem hoc in numero nonnulla quidem quæ vna eadémque ætate in vsu fuerunt, vt *Populo* & *Populor*, item *Assentio* & *Assentior*: (licet hoc vsitatius fuisse videatur) nonnulla verò in quibus vox actiua è vetustiore petita sermone videri possit: vt quum *Suadeor* & *Suadeo* dicitur: sic quum *Ludificor* & *Ludifico*, quum *Vociferor* & *Vocifero*. Sunt alioqui verba quę quum vtraque voce ab iisdem efferrentur, non itidem sine discrimine id fiebat: sed vt suum vsum vox actiua, ita & passiua suum habebat. Ac sunt ex iis nonnulla quæ ad confirmandam analogiam afferri possunt: vt *Mutuo* & *Mutuor*, *Fœnero* & *Fœneror*. vt enim eandem terminationem, sic etiam αἰάλογον (vt ita dicam) significationem habent *Mutuo* &

*Fœnero*, paritérque *Mutuor* & *Fœneror*. Sed talia circa analogiam minimè rimatus est Varro : de quibus nec à me hîc dicetur, sed alius erit dicendi locus.

Ac eodem confugere debuisse videtur, quum vellet respondere iis qui hoc analogiæ consentaneum esse negabant, ab aliis Hoc *monti* & Hoc *fonti*, ab aliis Hoc *monte* & Hoc *fonte* dici. Eius hæc verba sunt, pag. 124, *Qui dicat*, Hoc *monti* & Hoc *fonti*, *quum alij dicant* Hoc *monte* & Hoc *fonte*: *sic alia quæ duobus modis dicuntur, quum alterum sit uerum, alterum falsum: non uter peccat, tollit analogias: sed uter rectè dicat, confirmat.* Quinetiam loquens de iis quæ vno tantùm modo dicuntur, addit, *Et quemadmodum u qui quum peccat in iis uerbis ubi duobus modis dicuntur, non tollit rationem, quum sequitur falsum: sic etiam in iis quæ non duobus dicuntur, si quis aliter putat dici oportere atque oportet, non scientiam tollit orationis, sed suam insciam nudat.* Cæterùm alia in aliis libris est lectio, in principio huius loci. nam hæc verba, *non ideo non posse scribi uerum*, quæ hîc præcedentibus iuncta cernis, ibi sequentibus iunguntur, cum parua etiam quadam mutatione: quum ibi legatur, *non ideo non posse scribi uerum, quòd quis dicit* Hoc *monti &* Hoc *fonti*. Sed non dubito quin illa iungi potius præcedentibus debeant, & quin *sciri* pro *scribi* substituendũ sit: sicut & antea monuisse mihi videor. Verùm & ita legendo, videtur deesse vox *dicendum* ante non posse: vt ita scribatur, *non ideo dicendum non posse sciri uerum*. Video alioqui, & in iis quæ proximè præcedunt deprauatam esse

Varronis ſcripturam: ſed quid obſtat quominus hæc ſaltem à nobis interim emendentur? Addam igitur & aliam quandam admonitionem; quæ eſt de quodã vocabulo quod ibi legitur vbi huic ſermoni finem imponit: *non ſcientiam* (inquit) *tollit orationis, ſed ſuam inſcitiam nudat*, ſiue *denudat*, vt quædam aliæ editiones habent. At ego quũ in omnibus, quas quidem videre mihi datum fuit, ſcriptum ſit *orationis*, ſcribendum eſſe contendo *rationis*: ſicut paulo ante dictum fuerat, *non tollit rationem*. De analogia autem dici rationem, ſiue de ratione illa quę ex analogia diſcitur, ex aliis quamplurimis notum eſſe locis poteſt.

Verùm vt inceptum perſequar ſermonem de eo quod reſpondere Varro debuiſſe videtur (ignoſcat autem lector ſi propter illa quæ velut in itinere occurrunt menda, ſæpe ſermo meus circa diuerticula quædam immoratur) obiicientibus illam diuerſam in ſimilibus ablatiuis terminationem: ego rationi conſentaneum futurum fuiſſe arbitror hoc reſponſum, Dummodo in omnibus ablatiuis qui à ſimili recto ſunt (id eſt, ſimilem vel potius eandem terminationem habente) ea ſeruetur ab his conſtantia vt litera *e* eos claudant, vel ab illis, vt claudant eos litera *i*: nónne vtrorumque ſcriptura analogiam ſeruat? Hoc quidem certè quin à me verè dicatur haud negaturum lectorem exiſtimo: ſiue id ſiue quiddam aliud reſponderi debuerit, ſiue idipſum quod apud eum legimus, eum reſponderе ſatius fuerit.

## CAP. XXVII.

*De nonnullis quæ à Fabio Quintiliano ad quasdam aduersus analogiam obiectiones respondentur, & apud Varronem non leguntur.*

*Videri esse quod respondeatur ad nonnulla quibus tamen à Fabio nihil opponitur.*

EX FABIO nunc quædam afferre libet, quæ ad ea quæ analogiæ opponebantur, siue quę aduersus eam obiiciebantur (non tamen vt crimina quædam: licet Varro se soluturum crimina quæ in analogiam dicerentur, promittat) non tanquam sua tamen sed tanquam ex aliis petita, respondet. Eo autem libentius illa afferam, quòd Varronem nihil tale respondentem audiamus, ne ad illam quidem primam obiectionem, quæ apud eum aliquoties occurrit, de *lepus* & *lupus* à recto simili dissimilem declinationem accipientibus. Quædam sine dubio (inquit Fabius) conantur eruditi defendere. vt quum deprehensum est *lepus* & *lupus* simili positione quantum in casibus numerisque dissentiant: ita respondent, non esse paria: quia *lepus* epicœnum sit, *lupus* masculinum. Atque his adiungit, Quanquam Varro in eo libro quo initia vrbis Romæ (vel Romanæ vrbis, vt in quibusdam exempl.) describit, lupum fœminam dicit, Ennium Pictorémque Fabium sequutus. Quo de loco obiter hoc monebo (non de his autem

poſtremis verbis loquor, ſed de iis quæ præceſſerunt)ſuſpectum eſſe poſſe vocabulum *numeriſque*, quod *caſibus* ſubiungitur: niſi de numero ſyllabarum intelligamus. videmus enim *lupus* ſuis caſibus obliquis eſſe pariſyllabum at *lepus* eſſe impariſyllabum : atque hunc quidem rectum eſſe diſyllabum , obliquos autem eſſe triſyllabos. Sed cur *caſibus numeriſque* , non *caſibus numeróque* , dixit ? Veriſimile eſt eum ( ſi modò ita ſcripſit ) hæc duo nomina numeris inter ſe diſſentire dixiſſe , quòd vni quidem in obliquis ſuus ſyllabarum numerus idem maneret , at verò alteri ſuus augeretur. Magis certè miror genitiuum *ſyllabarum*, adiectum illi datiuo non fuiſſe: ſi quidem in eo ad illas reſpexiſſe exiſtimandus eſt.

Sequitur aliud ad aliam ἔνστασιν reſponſum. Illi autem iidem ( inquit ) quum interrogantur cur *Aper, apri* , & (ſed pro & malim *at*) *Pater, patris* faciat: illud nomen, poſitum, hoc ad aliquid eſſe contendunt. Sed hæc ratio parui eſſe momenti videri poſſet: ideóque aliam adiicit, Præterea quoniam vtrumque à Græcis dictum ſit, ad eam rationem recurrunt, vt πατρὸς, *patris*, κάπρου apri faciat. Fortaſſe autem non immeritò locus ille ſuſpectus fuerit vbi *nomen poſitum* & *nomen quod eſt ad aliquid*, tanquam pugnantia, dicit: ſiue vocem *poſitum* pro alia irrepſiſſe , ſiue aliquod aduerbium, quod ipſum vel præcederet vel ſequeretur, deeſſe ſuſpicandum ſit. An autem aduerbium id eſſe poſsit *abſolutè*, aut aliud quodpiam reſpondens ei quod à Græcis dicitur ἁπλῶς , le-

ctorum quiſpiam viderit.

Ad hæc verò quæ paruo interuallo ſequuntur, Quid verò quæ tota poſitionis eiuſdem in diuerſos flexus exeunt? quum Alba faciat *Albanus* & *Albenſis*, Volo, *uolui* & *uolaui*? ad hæc (inquam) nihil reſpondet: verùm ad *Albanus* quidem & *Albenſis* quod attinet, hæc duo nomina ſic à Varrone proponuntur, vt ſimul aliquam huius diſsimilitudinis rationem reddere videri poſsit, quemadmodum à me antea dictum eſt. At de diſsimilibus illis præteritis *uolui* & *uolaui* ab vno eodémque themate *uolo*, quid reſponderi poſſe exiſtimarem, capite præcedente dixi.

Sequitur apud eum & aliud ad quod non ſolùm nihil reſpondet, ſed quod proponit tanquam eiuſmodi vt analogiæ defenſores non habeant quod contradicant. Nam (inquit) præterito quidem tempore variè formari verba prima perſona *o* litera terminata, ipſa analogia confitetur. Siquidem facit Cado, *cecidi*, Spondeo, *ſpopondi*, Pingo, *pinxi*, Lego, *legi*, Pono, *poſui*, Frango, *fregi*, Laudo, *laudaui*. Quibus ſubiungit, Non enim, quum primùm fingerentur homines, analogia demiſſa cœlo formam loquendi dedit, &c. quaſi videlicet hîc analogia nihil præſtiterit, ac ne præſtare quidem quidquam potuerit. At ego contrà inueniſſe mihi videor quod opponi huic obiectioni queat. Fatetur ipſa analogia (inquis Fabi: ſignificare nimirum volens ipſos analogiæ defenſores id fateri) præterito tempore variè formari verba prima perſona *o* litera terminata: & quidem huius varietatis exem

pla in medium affers: ſed quid ſi opponam, in hac etiam varietate analogiam cerni? non enim horum præteritorum vnumquodque ſic effertur ſolum: id eſt, ita vt ſolam ex omnibus hanc vel illam formam habeat: ſed contrà vix vllum eſt cui alia non ſint aſſociata. Exempli gratia, præteritum *æcidi*, à C*ado*, aſſociata ſibi habet, *tetigi*, à T*ago* (*pro* T*ango*) & *pepigi*, à P*ago*, pro P*ango*. Itidémque *ſpopondi* à S*pondeo*, aſſociata ſibi habet, *totondi*, à T*ondeo*, & *momordi*, à M*ordeo*. Illud autem præteritum *pinxi* pro ſociis habet iſta, *finxi*, *cinxi*, *ſtrinxi*: quibus & *minxi*, quoſdam ſequendo grãmaticos, addi poteſt, quinetiã *rinxi*, à R*ingo*. Ad illud autem exemplum quod attinet cui locum vltimum tribuit, vix dici poteſt quantus verborum numerus illi ſocietate iunctus ſit. Atqui hæc nónne fatendum eſt haud aliunde quàm ab analogia aſſociata fuiſſe? Quædam omitto alia ad quæ reſponderi fortaſſe poterat, quamuis Fabius obticuerit.

CAP.

## CAP. XXVIII.

*Esse alia quædam de quibus in Varronem sit inquirendum, circa ea quæ de analogia scribit.*

*Eius loci aliquot emendati.*

IN VARRONEM (id est, in ea quæ de analogia scribit) inquisitũ à me est illis siue tmematibus, siue capitibus (vt vulgo loquimur) quæ proximè præcedunt, de iis quæ quum aduersariis analogiæ responderi videantur potuisse, ab eo siue per incogitãtiam siue consultò sunt prætermissa: sunt verò & alia quædam de quibus posse in eum inquiri aio. Eorum vnum est, negare illum nonnulla in vsu esse vocabula, quæ tamen is recepisse comperitur: præsertim verò ad diminutiua quædam quod attinet. Qua de re quamuis antea dictum sit, ac sit etiam exemplis aliquot probata, non pigebit tamen vnum illis addere: etiamsi de eo minus quàm de illis iam allatis mihi liqueat. Quamuis enim scribat in quodam huius octaui libri loco, non dici *piscinula* & *piscinella*, sicut *aniaula* & *aniœlla*, ea tamen dicta fuisse suspicor, non minus quàm alia nonnulla quæ is in vsu fuisse negat. Nam cui fiat verisimile, *piscinula* minus quàm *fuscinula*, à *fuscina*, dictum fuisse? vt alia multa omittam. Nisi fortè aliquis Varronem existimat haud negasse dici *piscinula*, sed de *piscinella* tantùm id in-

ficiatum esse. Eius verba sunt, *Item quum sit anus, casus, simile, & sit ab* Anu, *anicula, anicella, à casu duo reliqua quòd non sint propagata* (ita enim scribendum est, nulla interpunctione post *duo reliqua* posita) *sic non dicatur à* Pisina, *pisinula, pisinella.* Vbi si quis contendat, non negari à Varrone quin dicatur *pisinula*, sed eum inficiari tantùm in vsu esse illud quod ex iis est quæ alibi minima vocat, videlicet *pisinella*: alios eius locos ex quibus sententiam suam aut confirmet, aut saltem verisimilem reddat, sit fortasis inuenturus: etiamsi quosdam eruditos alioqui viros de *pisinula* quoque id intellexisse comperio. Enimuero etiamsi de *pisinella* tantùm id negasset, in dubium tamen hæc eius negatio non immeritò (vt opinor) vocata fuisset.

Verùm in eius alios locos inquirendũ censeo, vbi nõ negat sed affirmat potius quæ affirmãda fortasse non erant. Venio igitur ad paginã 116, & quidem eam eius partem vbi scribit, *Quod dicunt, casus alia non habere rectos, & alia obliquos, & ideo non esse analogiam, falsum est.* Deinde in exemplum nomina quædam afferens, addit, *Negant habere rectos: ut in hoc, frugis, frugem: item roris, rorẽ. Obliquos non habere, ut in hoc,* Diespiter, Marspiter. Sed antequam hinc digrediar, monendus est lector vt negantem particulam expungat ante infinitum *habere*, (quomodo enim *negant non habere* dici posset?) aut addat verbum *dicunt* ante vel post accusatiuum *obliquos*. Nunc audiamus quid ille his opponat. Ad *hoc respondeo* (inquit) *& priora habere nominandi, & posteriora obliquos. nam &*

*frugi*

*frugi rectus eſt natura frux : ac ſi* (malim *at ſi*. præ-
ſertim verò ſi tollatur vocula & poſt naim ) *ſe-*
*cundum conſuetudinem dicimus, ut* Hæc *alis*, Hæc *ouis*,
ſic Hæc *frugis*. Omiſsis quibuſdam quę interiecta
ſunt (de quibus poſtea dicetur) venio ad princi-
pium paginæ ſequentis, *Sic in obliquis caſibus cur*
*negent eſſe* Marſpitris, Dieſpitris, *non video: niſi quòd*
*minus eſt tritum in conſuetudine quàm* Dieſpiter.
*Quod in nihil eſt argumentum. Nam tam caſus, qui non*
*tritus eſt, quàm qui eſt*. Sed deeſſe puto quædam
quibus de Marſpitris idem quod de Dieſpitris fa-
teatur. Fatetur autem de Dieſpitris, minus eſſe tri-
tum in conſuetudine quàm Dieſpiter. Non dubi-
to igitur quin ita ſcripſerit, *niſi quòd minus eſt tri-*
*tum in conſuetudine* Marſpitris *quàm* Marſpiter, *&*
Dieſpitris *quàm* Dieſpiter. Fieri tamen poteſt vt &
ita ſcripſerit, *niſi quòd minus eſt tritum in conſuetu-*
*dine quàm* Marſpiter, *quam* Dieſpiter. Nam confi-
teor quidem vtendum potius fuiſſe participio
multitudinem ſignificante, & dicendum, niſi
*quòd minus trita ſunt*: ſed recordandum eſt eius de
quo in ſuperioribus admonui, dici itidem ab
eo, Simile eſt hoc & hoc verbum, pro Similia
ſunt hæc verba. Sic in fine pag. præced. *ut in hoc*,
Dieſpiter, Marſpiter, quum potius dicendum fo-
ret *ut in his*. At illa verba, *quod in nihil argumen-*
*tum eſt*, quid ſibi volunt? Non dubito quin aliis
quoque lectoribus exhibiturum ſit negotium
iſtud loquendi genus: vt ergo negotium illis lo
cus hic non faceſſat, ſcribãt, coniecturam meam
ſequẽtes (donec aliquid melius alicunde affera-
tur) *quod nihili argumentum eſt*. Hæc autem verba

quæ proximè ſequuntur, *nam tam cauſus qui non tritus eſt quàm qui eſt*, etiamſi prima fronte ſuſpecta eſſe queant, tamen nihil deprauationis ſub iis latere puto. quamuis diſſimulare nolim, apertius fuiſſe loquuturum ſi dixiſſet, *nam tam cauſus eſt is qui non tritus eſt, quàm is qui eſt*. aut etiam repetito participio, *quàm is qui tritus eſt*.

Nunc, nõ iam in librarij ſed in ipſius Varronis fidem inquirens, dico ſuſpectos mihi eſſe geniiuos *Marſpitris* & *Dieſpitris*. & vnde illos habeat, ex eo quæro. Atque adeo quendam eius locum ſuſpicionem meam augere dico, ac poſſe me cum illi opponere exiſtimo. Scribit enim partim in extrema pagina 90, partim in principio pag. 91, ſi analogia nobis ſequenda ſit, aut eam nobis obſeruandam eſſe quæ eſt in conſuetudine, aut eam quæ non eſt. ſi ea quæ in conſuetudine eſt, ſequenda ſit, præceptis nihil opus eſſe: quòd quum conſuetudinem ſequemur, ea (intelige autem analogia) nos ſequetur. at ſi eam ſequemur quæ non eſt in conſuetudine, vt quiſque duo verba in quatuor formis finxerit (malè enim ibi legitur finxerunt) ſimiliter, quamuis hæc nollemus, erunt ſequenda: vt Iuppiter, Marſpiter. Atque his adiicit iſta verba, quæ attentè ſunt conſideranda, Quas ſi quis ſeruet analogias, pro inſano ſit reprehendendus. Ea autem quę his ſubiunguntur, nihil ad rem faciunt: quoniam tamen obiter quoſdam etiam locos, prout in eos incido, emendare ſoleo, morem & hîc meum tenens, de quodam mendo inde tollendo lectorem commonefaciam. Quum ergo

ita ſcriptum ſit, *Quòd ſi oporæt ut à ſimilibus ſimiliter omnia declinentur uerba, ſequitur ut ab his ſimilibus ſimilia debeant fingi*: ſi meam ſequi coniecturam libebit, ita ſcribat, *Quòd ſi oporæt ut à ſimilibus ſimiliter omnia declinentur, ſequitur ut à diſſimilibus diſſimilia debeant fingi*. Nam ſi alteram lectionem retineamus, nemo, vt opinor, negauerit bis eandem rem dici. Verùm vt ab hac emendatione ad illa redeam quæ Varro de illis nominibus Iuppiter & Marſpiter ſcribit, dico iſta, *pro inſano ſit reprehendendus*, de illo videri intelligenda qui *Iuppitris* & *Marſpitris* dicat. nam ſi quas vocauit quatuor formas, eſſe contendam caſuum obliquorum formas, nemo mihi (vt ſpero) aduerſabitur, qui aures ſatis aſſuefactas Varronis ſermoni habebit. Non inficior tamen, haud credere me totum illum locum ſic à Varrone ſcriptum eſſe vt eum habemus. nam vel illam voculam *duo*, vel aliam qua certus numerus indicaretur, vbi legimus, *ut quiſque duo uerba in quatuor formis finxerit ſimiliter*, quorſum Varro poſuiſſet? cur non potius *aliqua uerba* dixiſſet? Denique locum hunc non aliter intelligo quàm ſi ita ſcriptum eſſet, *ut à Iuppiter, Marſpiter, ſuas ſi quis ſeruet añalogias* (fuit autem facilis lapſus ex *ſuas* in *quas*) *pro inſano ſit reprehendendus*. Id eſt, ſi quis ſuas analogias ſeruet in fingendis quatuor caſibus obliquis ab hiſce rectis Iuppiter & Marſpiter, ita vt dicere audeat, Iuppitris, Iuppitri, Iuppitrem, & Iuppitre, itidémque Dieſpitris, Dieſpitri, Dieſpitrem, & Dieſpitre, pro inſano ſit reprehendendus.

Hanc esse Varronis mentem persuasum habeo. nam & vbi dicit *finxerit similiter*, intelligo, finxerit sequendo siue obseruando similitudinem analogicam. Quòd si non fallor, sed hoc sensit Varro, (quid enim aliud hîc esset quod dici absque insania non posset?) sibi constare in altero illo libri octaui loco dici non potest vbi his ipsis nominibus suos esse obliquos scribit. Nisi fortè dicendum est Varronem pro insano reprehendi maluisse quàm dici, analogiæ, in defendenda eius causa, defuisse.

Verùm, esto Varronẽ in illo septimi libri loco de illis quos dico obliquis minimè loqui (quod mihi tamen vix quisquam eripiat) ideóque dici haud posse sibi non constare: at alteri illi loco, qui libro octauo legitur, quis patrocinabitur? aut quis eum excusabit? Apertè enim ibi loquitur, *Sic in obliquis casibus aut negent esse* Marspitris, Diespitris, *non uideo.* Nisi fortè aliquis hoc satis eum excusare putat, quòd addit, *nisi quòd minus est tritum in consuetudine quàm* Diespiter. Sed audimus eum statim pòst dicentem, casum eum qui tritus non est, tam esse casum quàm eum qui tritus est. Quibus ostendit, non minus à se hos obliquos quàm alios quospiam probari. At ego tamen haud possum non mirari, quomodo, quum de hoc inter omnes conuenerit, *Marspiter* aliud non esse quàm *Mars pater*, non monuerit dici debuisse potius *Martispatris* (vt à recto *iusiurandum* non dicitur *iusiurandi*, *iusiurando*, sed *iurisiurandi*, *iuriiurando*) aut certè disiunctè scribere *Martis patris.* Non ignoro alioqui & ex

Priſciano poſſe afferri *Iuppitris*: ſed magis hunc genitiuum (quod & de cæteris obliquis intelligendum eſt) excuſari poſſe aio, quòd in ipſo recto *Iuppiter*, ſi quidem ita ſit dictus hic deorum ſummus, quaſi Iuuans pater, iam decurtatam priorem huius nominis partem habeamus: at in *Marſpiter* integra prior pars & incorrupta ſeruetur. Scribo autem *Iuppiter*, (vt de hoc quoque obiter moneam) dupiicata litera p, quod ita ſcribatur apud Varronem: quum alioqui ſcribere *Iupiter*, litera illa non geminata, etymologiæ illi magis conſentaneum videatur. Ne hoc quidem tacebo, *Iuppiteris* afferri à Priſciano, non minus quàm *Iuppitris*: ſed quis manifeſtam analogiæ iniuriam in altero illo genitiuo fieri neget, cui modò illa etymologia ignota non ſit? Abſit tamen vt duobus ſimul bellum moueam, quum illud non ignorem, Ne Hercules quidem contra duos. Ac eo quidem magis prouerbiale iſtud dictum conſiderandum mihi eſt, quòd is cui nunc aduerſarium me conſtituo, Hercules quidam eſt in re literaria, ideóque multorum vnus aduerſariorum eſt inſtar.

Non verebor tamen & hoc adiicere, Varronem ne in eo quidem videri ſibi conſtare, quòd ab eo de quo diſſerui ſermone ſtatim ad hunc tranſit, *ſed in caſuum ſerie alia uocabula non habent nominandi, alia de obliquis aliquem.* Indicet enim lector quomodo hæc dici poſsint conſentire cum iſtis, quæ non magno interuallo præcedunt, *Quod dicunt, caſus alia non habere rectos, alia obliquos, & ideo non eſſe analogias, falſum eſt.* Nam

ſcio quidem hæc ita poſſe accipi vt intelligamus nihil obſtare quominus ſint analogiæ,(niſi & hîc & in aliis eiuſmodi locis analogiam, non analogias,ſcribere debemus) licet quædam nomina non habeant rectos (pro recto autem caſu dicit etiam caſum nominandi) & quędam obliquos non habeant: ſed quum oſtendat poſtea, nec in illis quæ propoſita ſunt tanquam rectum non habentia, nec in illis quæ dicta ſunt obliquis carere, verum id comperiri, & nulla exceptione vtatur, non video quomodo dubium eſſe poſsit quin negare voluerit falſum vſquequaque eſſe quod de illo caſuum defectu ab analogiæ aduerſariis iactaretur.

Sunt & alij loci in quos meritò quis inquiſiturus eſſe videtur:(loquor autem nunc de iis locis vbi non de vocabulo aliquo, aut vocabulis aliquibus, ſed de re ipſa quæ à Varrone dicitur, diſſentiri ab eo poſsit)in eorum numero eſt hic, in calce paginæ 91, *Denique ſi eſt analogia, quòd in multis uerbis eſt ſimilitudo uerborum: ſequitur quod in pluribus eſt diſſimilitudo. ut non ſit in ſermone ſequenda analogia.* Quomodo enim dici poteſt, ex eo quòd in multis verbis eſt ſimiilitudo verborum, ſequi, in pluribus eſſe diſsimilitudinem? quæ dialectice ſic argumentari permittit? Vt tamen verum fatear, ex iis locis eſt hic vbi dubito, ipſúmne in Varronem an verò in librarium ſit inquirendum, eiúſque fides ſuſpecta nobis eſſe debeat:& ſuſpicandum, Varronem locum hunc ita ſcriptum reliquiſſe, *Denique, ſi eſt analogia, quòd in multis uerbis eſt ſimilitudo uerborum, ſequitur*

*quòd in pluribus non eſt analogia, quòd in pluribus eſt diſſimilitudo.* Ac ſit audiendus fortaſſe & qui in priori huius periodi parte ſcriptum fuiſſe contendat, *Denique ſi analogia eſt in multis uerbis, quòd in multis eſt ſimilitudo uerb.* &c.

Sed alia te offerunt in quæ inquiramus, in quibus ſi peccauit Varro, ea ſunt peccata eius generis cuius & illud de quo dictum initio huius capitis fuit. Nam affertur ab eo vocula *frux* tanquam rectus caſus nominis *frugi*. Scribit enim, *Nam & frugi* (ſed in *frugis* muto) *rectus eſt natura frux*. At ego vocem obſoletam, ab ea quæ in vſu ſit, diſtinguendam eſſe aio: propterea que dicendum potius fuiſſe, rectum nominis illius eſſe obſoletum. Quinetiam non ſatis inter ſe conſentientia loqui Varronem, haud iniuria fortaſſe quis dixerit, quum voculam quidem *frux*, obliquis illis *frugis*, *frugi*, *frugem*, *fruge*, tanquam ſuum rectum, attribuit, at verò *faux* à conſuetudine reiectum iri dicit. Atqui quum diceretur iam tum *fauis*, & quandam analogiam eſſe videret inter *faux*, *fauis*, & *crux*, *cruis*, ob ſimilem obliquorum terminationem, eundem vtrique locum debuiſſe dare videtur. Sed *frux* (dicet aliquis) vult eſſe rectum quem natura ipſa exhibeat, ac ſecundum conſuetudinem rectum eſſe *frugis*: eodem ſaltem honore & voculam *faux* dignari debuit.

Ac, ſicut initio huius capitis, eum in quibuſdam quæ afferebam, ſibi non videri conſtare aiebam, ita in hoc quoque ſibi non ſatis conſtat (meo quidem iudicio) quòd quum velit in

casu recto, siue nominandi, dici secundum naturam, *frugis* autem secundum consuetudinem, tamen non itidem censeat *ros* quidem secundum naturam, at *roris* secundum consuetudinem dici, sed contrà illud quidem consuetudini, at hoc naturæ tribuat. Ac videtur tamen, quum in sequentibus dicit, id quod est in consuetudine nunc in recto casu, eadem esse analogia ad pleraque, quæ ex multitudine quum transeunt in singulare, difficulter efferuntur ore. Ex his enim & iis quæ adiicit de plurali *oues* transeunte in singulare *ouis*, nemo non iudicet eum de *roris* potius quàm de *ros* loqui, quum eius quod consuetudine sit receptum, mentionem facit. Verùm & alia nascitur dubitatio super hoc quod dicit, vtrumque conuenire ad analogiam. nam in iis quę subiungit, nihil tale videtur afferre qualia sunt quæ analogia nos docet. Hæc certè dubitatio facit vt non dubitem quin verba nonnulla hîc desiderentur.

CAP.

## CAP. XXIX.

*Insignes apud Varronem esse comparationes, seu similitudines: sed & in quasdam earum posse fortassis inquiri.*

*Aliquot menda è Varrone sublata.*

INSIGNES & valde appositas comparationes siue similitudines affert Varro, & quæ aures nostras voluptate perfundant, simúlq; rem ante oculos ponant. Atque, vt ad exempla statim veniam, pag. 104, postquam consuetudinis rectæ, necnon deprauatæ, mentionem fecit, suámque de consuetudine vel sequenda vel non sequenda sententiam protulit, addit, *Neque enim Lysippus* (inquit pag. 104.) *artificum priorum potius est uitiosa sequutus quàm artem.* Pagina autem quæ hanc præcedit, pictores aliquot, alióſque artifices, in exemplum adducit. *Pictores* (inquit) *Apelles, Protogenes, sic alij artifices egregij non reprehendendi, quod consuetudinem Myconis, Dionis, Arimnæ, & aliorum superiorum, non sunt secuti.* Sed & Myrmecidis meminit initio libri sexti, *Etenim facilius obscuram operam Myrmecidis ex ebore oculi uideant, si extrinsecus admoueant nigras setas.* Quo loco videndum est an aliquid afferre lucis possit ei libri octaui, pag. 123, vbi eiusdem artificis fit mentio.

Ac eodem in libro scribit, cum qui negat esse rationem analogiæ (perinde est autem acsi di-

ceret rationem analogicam, aut etiam ſimpliciter analogiam: ſicut eam ſimpliciter etiam rationem aliquot locis appellat) non videt naturam non ſolùm orationis ſed etiam mundi. Qui autem vident & ſequi negant oportere (ſi tamen ita ſcripſit, ſtatim à ſingularibus verbis ad pluralia tranſiens) pugnant contra naturam, non contra analogiam: & pugnant volſellis, non gladio: quum pauca excepta verba ex pelago ſermonis puri, minus trita, efferant: quum dicant propterea analogias non eſſe. ſimiliter vt ſiquis viderit mutilum bouem, aut luſcum hominem, claudicantem equum, neget in cornibus boum, hominum & equorum naturam ſimilitudinis proportione conſtare. Vbi inter cætera conſiderari debet hoc genus loquendi, quod fuiſſe iam tum prouerbiale videtur, Pugnant volſellis, non gladio. ac tale quid ſonat fortaſſe quale ſonarent iſta verba, Pugnant gladio plumbeo. Sed non ſatis emendatè quædam hîc ſcripta ſunt. ac præſertim illa non dubium eſt quin mendoſa ſint, *neget in cornibus boum, hominum & equorum naturam ſimilitudinis proportione conſtare.* Sed dubito vtrum ſuſpicandum ſit potius verba hæc *in cornibus* è margine irrepſiſſe, vbi quis iſta ad exponendam vocem *mutilum* adſcripſiſſet: (quanquam *cornibus* potius quàm *in cornibus* dicendum erat) an verò ipſum quidem Varronem iſta hîc ſcripſiſſe, ſed pariter duobus genitiuis ſequentibus conuenientia adiunxiſſe: vt illis conuenientia haberemus (meo quidem iudicio) ſi locus hic ita ſcriberetur, *ſimiliter ut ſi*

*quis uiderit mutilum bouem, aut luſcum hominem, claudicantem equum, neget in cornubus boum, oculis hominum, & pedibus equorum, naturam ſimilitudinis proportione conſtare.* Verùm ad illa quod attinet quę in hoc ipſo ſermone dicuntur de iis qui pauca verba excepta è pelago ſermonis puri, minus trita, efferunt: (ſi tamen hoc ille verbo ibi vſus eſt) quum poſtea in comparatione cum mutilo boue, cum homine luſco, cum claudicante equo, ad illa minus trita verba reſpiciatur: non videtur in his loqui quæ ſatis conſentiant cum iis quæ poſtea hoc ipſo in libro ſcribit, caſum qui non tritus eſt, tam eſſe caſum quàm eum qui tritus eſt.

Sæpe autem triclinia in exemplum affert, iſ iis quoque ſuas tribuens analogias: vt initio pagi-næ 103. Et pag. 110, poſtquam dixit, Rogant, ſi ſimilitudo ſit ſequenda, cur malimus habere lectos, alios ex ebore, alios ex teſtudine, ſic item genere (niſi potius ſcribendum, *ex genere*) aliquo alio. Ad quæ dico non diſſimilitudines quoque ſequi. ſæpe itaque ex eadem ſupellectili licet videre. Hæc inquam poſtquam dixit, addit, *Nam nemo facit triclinij lectos niſi pares & materia & altitudine & figura.* Atque his adiicit, *Quis facit mappas triclinarias non ſimules inter ſe? quis puluinos? quis denique cætera quæ unius generis ſint plura?* Verùm, ſi huic loco (de priore autem eius parte loquor) nauanda eſt à me eadem opera quæ aliis nauata pleriſque fuit, monendus à me es de verbis illis, *ad quæ dico, non diſſimilitudines quoque ſequi.* Nullo enim conſiſtere modo poteſt hæc

lectio. nec verò tantùm particulam *non* in pronomen *nos* mutare oportet ( quod editiones quædam habent) sed etiam *dissimilitudines* in contrarium *similitudines* mutare , meo quidem iudicio. Nec verò aliter iudicaturum puto qui sequentia considerabit: quum hæc alioqui repugnatura sint. Contrà autem si scribamus ita vt dixi, *nos similitudines quoque sequi*, conueniet hæc scriptura & cum iis quæ præcedunt. Dixit enim, Respondeo, *si varietas est iucunda, magis varium esse in quo alia sunt similia, alia non sunt*. Atque id exemplo etiam confirmauit, Itaque sicut abacum argento ornari videmus, vt alia paria sint , alia, disparia: sic in oratione. Verùm addo super illis verbis, Ad *quæ dico , nos similitudines quoque sequi*, intelligi hîc similitudines in ea ipsa re quæ proponitur. Perinde acsi diceret Varro, Ad quæ respondeo , nos in iis ipsis lectis quos in exemplum afferunt , dissimilitudines quidem sequi ea in re quam dicunt , sed ita vt similitudines quoque in alia sequamur. Sed interim obseruandum est diligenter quid loquatur Varro : & vt non dicatur ab eo lectos omnes, pares & materia & altitudine & figura fieri : sed de triclinij tantùm lectis verba facere. Alioqui certè huic loco alius quidam repugnaret , qui exstat pag. 90 , *& lectos non omnes pares magnitudine ac figura faciunt*. His autem subiungit, *Quòd si esset analogia petenda in supellectile , omnes lectos haberemus domi ad unam formam, & aut cum fulcro, aut sine eo: nec tum ad triclmiarem gradum , non item ad cubicularem*. Adiicit verò & quæ conueniunt cum iis

quæ ex pagina 110 allata ſunt, *cur malimus habere lectos, alios ex ebore, alios ex æſtudine.* nam poſt illa verba de tricliniari & de cubiculari gradu, hæc leguntur, *neque potius delectaremur ſupellectile, diſtincta quæ eſſet ex ebore aliiſque rebus, diſparibúſque figuris, quàm grabatis analogis, quum ad ſimilem formam plerunque eadem materia fiunt.* Niſi potius ſcribendum eſt, *quàm grabatis analogis, quæ ad ſimilem formam, plerunque & ex eadem materia fiunt.* Sunt enim *grabata analoga* (ſi ſcriptura illa mendo caret) quæ ſunt ἀναλόγως facta. Verùm nec præcedentis cuiuſdam loci emendatio (qualem mea mihi coniectura ſuggerit) omittenda eſt, eius videlicet in quo tricliniaris & cubicularis gradus fit mentio. quum enim ita ſcriptum ſit, *nec tum ad triclıniarem gradum, non item ad cubicularem:* ſcribendum arbitror, *& tantùm ad triclinia-rem gradum, non item ad cubicularem.* Præceſsit enim, *omnes lectos haberemus domi ad unam formam, & aut cum fulcro, aut ſine eo.*

Sic verò & alibi à ſupellectile, ſiue iis quæ in ſupellectile numerantur, exempla ſumit. nam vt in iis quę precedunt, lectorum fieri mentionem vidimus, ſic alibi fit vaſorum. Verùm à veſtimentis interdum exempla ab eo petuntur, quæ in ſupellectile haud numerat. vt videre eſt in hóc paginæ 104 loco, in fine, *Nam ad uſum in ueſtimentis, ædificiis, ſupellectili, nouitati non impedit uetus conſuetudo. Quem enim amor aſſuetudinis potius in pannis poſſeſſorem retinet, quàm ad noua ueſtimenta traducat?* Atque hinc ad leges, à legibus ad vaſa tranſit. *Annon* (inquit) *ſæpe ueteres leges abrogatæ*

*nonis cædunt? nónne inusitatis formis uasorum recen-tibus à Græcia allatis obliteratæ antiquæ sinorum & capidarum species?* Vbi *capidum* reponi debere, antea monui. Sic autem & pag. 90, vestitus, dein de ædificiorum, supellectilis, ciborum, tandem vasorum quoque meminit, ibi enim legimus, *Quare quum in uestitu*, (nisi scribendum, *ut in uestitu*, quum *sic* sequatur) *ædificiis, sic in supellectile, cibo, cæteris omnibus quæ usu ad uitam sunt assumpta, dominetur inæqualitas.* Et aliquanto pòst, *quòd non solùm uestiti esse uolumus, ut uitemus frigus, sed etiam ut uideamur uestiti esse honestè.* Eiusdémque rei exemplum paulo post è vasis sumens, scribit, *Non solum uasa ad uictum habilia, sed & figura bella, atque ab artificæ. quòd aliud homini, aliud humanitati satis est.* Animaduertendum est autem, vestimenta hîc quoque à supellectili, more iurisconsultorum, distingui: contra verò vasa, eorundem more, illi annumerari. nam supellectilis facta mentione, paulo pòst vasorum, vt quæ pars illius sint, mentionem facit. Cæterùm quæ his subiungit, legere non possum quin Horatianum quẽdam versum memoria repetam. sequitur enim, *Quoduis sitienti poculum homini idoneum: humanitati, nisi bellum, parum. sed quum discessum est ab utilitate ad uoluptatem*, &c. Sic enim & poeta ille,

*Num tibi quum fauces urit sitis, aurea quæris*
*Pocula?*

Cætera exempla, seu cæteras comparationes, referre longum esset: ideoque cùm ad alios libros octaui locos te remitto, tum verò ad quosdam

qui leguntur pag. 105, & 106. Quorum vnius principium est istud, *Quæ enim est pars mundi quæ non innumerabiles habeat analogias?* Vt autem & ipse exemplum aliquod afferam eius quod titulus huius capitis ostensurum me pollicetur, considerari à te velim quandam comparationem quam habes in extrema pagina 91, *Postremò, si est in oratione, aut in omnibus eius partibus est, aut in aliqua: & in omnibus non est, in aliqua esse parum est. ut album esse* AEthiopem *non satis est quòd habet candidos dentes. non est ergo analogia.* De analogia loqui illum, dicentem, *Postremò si est in oratione*, non ea tantùm ostendunt quæ præcedunt, verùm & hęc verba quibus iste locus claudítur, *non est ergo analogia.* Sed hæc comparatio nihil aduersus analogiam facit: minimęq; concedendum est comparari *ἀναλόγως* quod in oratione analogiã habet (id est, quod habere analogiam aduersarij etiam eius fateri coguntur) cũ eo quod in AEthiope habet albedinem: quum ea quæ in oratione analogiam seruant, sint (aduersariorum etiam assensu) non parua eius pars: at quod in AEthiope album est, non immeritò fortasse dicturus quispiam sit esse eius *τὸ μυελοσημόειον.*

CAP.

## CAP. XXX.

*Quorundam Varronis locorum inter se collatio, in quibus aliquid naturale, aliquid voluntarium esse in Analogia siue in verborum declinatione, traditis & quid hoc, quid illud sit, ostendit.*

*Suspectos tamen eius esse locos in quibus ipsa quoque declinatio verborum, seu vocabulorum, esse voluntaria dicitur: quum id alibi de eorum impositione ab eo dictum legatur.*

*Quòd si ab eo ita scripti sunt illi loci, constare sibi non videri.*

*Proposita nonnulla quæ de analogia scribit.*

*De iis in quibus sermonem naturam sequi ait.*

*Emendationes quorundam locorum.*

VENIT nunc in mentem facere quod fortasse iam ante factum oportuit: eos videlicet Varronis locos inter se conferre in quibus quid naturale, quid voluntarium sit in analogia siue in declinatione verborum, ostendit. Consilium autem hoc cepi dum in iis quæ non magno interuallo præcedunt, quendam eius huc pertinentem locum afferrem. Legimus igitur libro 9, pag. 136, Analogiam fundamenta habere aut à Voluntate hominum, aut à Natura verborum,

rum, aut re vtraque. Quibus addit, Voluntatem ſe vocare impoſitionem vocabulorum: Naturam, declinationem vocabulorum, quò decurritur ſine doctrina. In eodem autem libro, pag. 128, poſtquam dixit primam diuiſionem eſſe in oratione, quòd alia verba nuſquam declinantur, vt hæc, *uix*, *mox*: alia declinantur, vt à *Limo*, *limabo*: à Fero, *Ferebam*: & quum niſi in iis verbis quæ declinantur non poſsit eſſe Analogia, qui dicit ſimile eſſe *mox* & *nox*, errare: quòd non eſt eiuſdem generis vtrunque verbum: quum *nox* ſuccedere debeat ſub caſuum rationem, *mox* neque debeat, neque poſsit. Hæc (inquam) poſtquam dixit, ad ſecundam diuiſionem veniens, eam eſſe ait de iis verbis quæ declinari poſſunt: quòd alia ſunt à voluntate, alia à natura. Voluntatem appello (inquit) quum vnuſquiſque à nomine alio imponit nomen, vt Romulus, Roma. Naturam dico, quum vniuerſi acceptum nomen ab eo qui imponit, non requirimus quemadmodum id velit declinari, ſed ipſi declinamus: vt *huius* Romæ, *hanc* Romam. Quibus addit, de his duabus partibus, Voluntariam declinationem referri ad conſuetudinem, Naturalem, ad rationem. Eodémque modo pag. 107, putare ſe ſcribit, declinatus verborum & Voluntarios & Naturales eſſe: Voluntarios, quibus homines vocabula impoſuerint rebus quædam: *ut à* Romulo Roma, *à* Tibure Tiburtes: Naturales, vt ab impoſitis vocabulis, quæ inclinantur in tempora aut in caſus: *ut ab* Romulus, Romuli, Romulo, Romulum: & *à* Dico, *dicebam*, *dixeram*. Atque addit,

Itaque in voluntariis declinationibus inconſtantia eſt, in naturalibus conſtantia. Hæc ille. Eſt autem obſeruandum, in illo paginæ 136 loco, quem initio propoſui, dici non ſimpliciter Naturam, quemadmodum in aliis locis, ſed Naturam verborum. *Analogia* (inquit) *fundamentum habet aut à uoluntate hominum, aut à natura uerborum, aut re utraque.* Sed vereor ne hic genitiuus *uerborum* ab alio quàm à Varrone adiectus fuerit: præſertim quum in iis quæ proximè ſequuntur, naturam eſſe dicat declinationem vocabulorum, quò decurritur ſine doctrina. Ita enim loquens, videtur quodammodo naturam arti opponere. Eſt verò & aliud hîc, quod quum mihi ſuſpectum ſit, alius eſt tamẽ locus qui me ſuſpicionem illam vix permittit patefacere. Nam quum ſequatur, De *his duabus partibus, uoluntaria declinatio refertur ad conſuetudinem, naturalis ad rationem*, vocem hanc *declinatio* ſuſpectam mihi eſſe aio, ne ſuppoſititia ſit: & à Varrone ſcriptum ſit tantùm *uoluntaria*, quum vellet *ἀναλογίας pars* tam cum hoc adiectiuo quàm cum altero illo *naturalis*. In iis enim quæ paulo ante ſcripſit Varro de volũtate, quid habemus quod ad voluntatem pertineat? Verùm ecce alium locum per quem mihi vix licere dicebam meam illam coniecturam patefacere. Is locus, ille ipſe eſt quem ex pagina 107 paulo ante attuli: vbi ſcribit, Ego *declinatus uerborum & uoluntarios & naturales eſſe puto. uoluntarios, quibus homines uocabula impoſuerint rebus quædam, ut à* Romulo Roma, *à* Tibure Tiburtes: *naturales, ut ab impoſitis uocabu-*

rum, aut re vtraque. Quibus addit, Voluntatem se vocare impositionem vocabulorum: Naturam, declinationem vocabulorum, quò decurritur sine doctrina. In eodem autem libro, pag. 128, postquam dixit primam diuisionem esse in oratione, quòd alia verba nusquam declinantur, vt hæc, *nix*, *nox*: alia declinantur, vt à *Limo*, *limabo*: à *Fero*, *Ferebam*: & quum nisi in iis verbis quæ declinantur non possit esse Analogia, qui dicit simile esse *mox* & *nox*, errare: quòd non est eiusdem generis vtrunque verbum: quum *nox* succedere debeat sub casuum rationem, *mox* neque debeat, neque possit. Hæc (inquam) postquam dixit, ad secundam diuisionem veniens, eam esse ait de iis verbis quæ declinari possunt: quòd alia sunt à voluntate, alia à natura. Voluntatem appello (inquit) quum vnusquisque à nomine alio imponit nomen, vt *Romulus*, *Roma*. Naturam dico, quum vniuersi acceptum nomen ab eo qui imponit, non requirimus quemadmodum id velit declinari, sed ipsi declinamus: vt *huius Romæ*, *hanc Romam*. Quibus addit, de his duabus partibus, Voluntariam declinationem referri ad consuetudinem, Naturalem, ad rationem. Eodémque modo pag. 107, putare se scribit, declinatus verborum & Voluntarios & Naturales esse: Voluntarios, quibus homines vocabula imposuerint rebus quædam: *ut à Romulo Roma*, *à Tibure Tiburtes*: Naturales, vt ab impositis vocabulis, quæ inclinantur in tempora aut in casus: *ut ab Romulus*, *Romuli*, *Romulo*, *Romulum*: & *à Dico*, *dicebam*, *dixeram*. Atque addit,

Itaque in voluntariis declinationibus inconſtantia eſt, in naturalibus conſtantia. Hæc ille. Eſt autem obſeruandum, in illo paginæ 136 loco, quem initio propoſui, dici non ſimpliciter Naturam, quemadmodum in aliis locis, ſed Naturam verborum. *Analogia* (inquit) *fundamentum habet aut à uoluntate hominum, aut à natura uerborum, aut re utraque.* Sed vereor ne hic genitiuus *uerborum* ab alio quàm à Varrone adiectus fuerit: præſertim quum in iis quæ proximè ſequuntur, naturam eſſe dicat declinationem vocabulorum, quò decurritur ſine doctrina. Ita enim loquens, videtur quodammodo naturam arti opponere. Eſt verò & aliud hîc, quod quum mihi ſuſpectum ſit, alius eſt tamẽ locus qui me ſuſpicionem illam vix permittit patefacere. Nam quum ſequatur, De *his duabus partibus, uoluntaria declinatio refertur ad conſuetudinem, naturalis ad rationem*, vocem hanc *declinatio* ſuſpectam mihi eſſe aio, ne ſuppoſititia ſit: & à Varrone ſcriptum ſit tantùm *uoluntaria*, quum vellet ὑπερκείσθαι *pars* tam cum hoc adiectiuo quàm cum altero illo *naturalis*. In iis enim quæ paulo ante ſcripſit Varro de volũtate, quid habemus quod ad voluntatem pertineat? Verùm ecce alium locum per quem mihi vix licere dicebam meam illam coniecturam patefacere. Is locus, ille ipſe eſt quem ex pagina 107 paulo ante attuli: vbi ſcribit, Ego *declinatus uerborum & uoluntarios & naturales eſſe puto. uoluntarios, quibus homines uocabula impoſuerint rebus quædam, ut à* Romulo Roma, *à* Tiburе Tiburtes: *naturales, ut ab impoſitis uocabu-*

*lu, quæ inclinantur in tempora aut in casus: ut ab* Romulus, Romuli, Romulo, Romulum: *& a* Dico, *dicebam, dixeram.* Nisi ante *dixeram* scriptum erat *dixi.* Sequitur autem, Itaque *in uoluntarius declinationibus inconstantia est, in naturalibus constantia.* Nam si & illic *declinatus* & hic *declinationibus* suspecta mihi esse dixero, quid afferam quod in eorum sedem substitui queat? Lupum igitur auribus teneo: quum neque illam relinquere vocem, consentaneum rationi videatur, nec in mentem veniat quam, illa sublata, sufficere in eius locum possim. Imò verò veniunt quidem in mentem quæ substituam, sed quum in iis magna sit futura mutatio, malo reticere. Verùm vt & alii interim de hisce duobus locis cogitent, alios etiam proferam, è quibus cognoscatur, cum impositionem vocabulorum à declinatione omnino distinguere. Hoc igitur erit libri septimi initium, *Quum oratio natura tripartita esset, ut superioribus libris ostendi: eius prima pars, quemadmodum uocabula rebus essent imposita: secunda, quo pacto de his declinata in discrimina ierunt.* Aliquanto post, Duo *igitur omnino uerborum principia, imposititiorum & declinatorum: alterum ut fons, alterum ut riuus.* Atque his adiicit, impositicia quidem nomina esse quampauciſsima voluisse, quo citius ea possent ediscere: at declinata, quamplurima. Sed quæ sequuntur, quid sibi volunt? Ad *illud genus quod prius, historia opus est. nisi descēdēdo enim aliter id nō peruenit ad nos: ad reliquum genus, quod posterius, ars.* (nisi scripsit *artæ*) Quorsū enim historiæ mentionem hîc fieri, aut quid rei esse ei cum illo

priore genere dicemus? Suſpenſum lectorem nõ tenebo, ſed ſtatim emendationem meam (qualemcunque mihi eam coniectura dedit) profe-ram. Suſpicor itaque ſcribendum eſſe, Ad *illud genus quod prius, memoria opus eſt. uſi diſcendo enim aliter id non peruenit ad nos.* Quid verò? an memoria & ad genus alterum, quod eſſe dicit poſterius, non eſt opus? Requiritur quidem certè & ad illud memoria, ſed minus. Adeo vt perinde ſit acſi dixiſſet (ſi quidem coniectura mea ἀῦτα χς eſt) Ad illud genus quod prius, memoria præcipuè opus eſt. Erit autem illud *diſcendo* dictum pro *ediſcendo*, id eſt, memoriæ mandando. Verùm, vt ab hoc loco ad alium tranſeam, ſcribit itidem libro nono, pag. 137, *Impoſitio eſt in noſtro domunatu, nos in natura* (ſed *naturæ* legendum eſſe contendo) *quemadmodum enum quiſque uult, imponit nomen: at declinat quemadmodum uult natura.* Non dubito autem quin meam illam coniecturam ſeu emendationem coniecturalem vtroque pollice ſis laudaturus. Sed venio ad aliã cuiuſdam loci qui exiguo interuallo hunc ſequitur. Nam quum ita ſcriptum ſit in omnibus quas vidi editionibus, Nec *dubium eſt quin ordo declinatuum in quo res ſingulares declmantur, ſolæ ab ſingulari aliquo caſu profiaſcantur*: ego ita ſcribendum eſſe ſλαπίνομαι. Nec *dubium eſt quim ordo decl. in quo res ſingul. declmantur ſolæ, ab ſingulari aliquo caſu profiſcatur*. In qua lectione animaduerte vocem *ſolæ* iungi à me cum præcedentibus, quam ſequentibus iunctam habebas: & plurale *profiſcantur* mutari in ſingulare *profi-*

*lis, quæ inclinantur in tempora aut in casus: ut ab* Romulus, Romuli, Romulo, Romulum: *& a* Dico, dicebam, dixeram. Nisi ante *dixeram* scriptum erat *dixi*. Sequitur autem, *Itaque in uoluntariis declinationibus inconstantia est, in naturalibus constantia.* Nam si & illic *declinatus* & hîc *declinationibus* suspecta mihi esse dixero, quid afferam quod in eorum sedem substitui queat? Lupum igitur auribus teneo: quum neque illam relinquere vocem, consentaneum rationi videatur, nec in mentem veniat quam, illa sublata, sufficere in eius locum possim. Imò verò veniunt quidem in mentem quæ substituam, sed quum in iis magna sit futura mutatio, malo reticere. Verùm vt & alii interim de hisce duobus locis cogitent, alios etiam proferam, è quibus cognoscatur, eum impositionem vocabulorum à declinatione omnino distinguere. Hoc igitur est libri septimi initium, *Quum oratio natura tripartita esset, ut superioribus libris ostendi: eius prima pars, quemadmodum uocabula rebus essent imposita: secunda, quo pacto de his declinata in discrimina ierunt.* Aliquanto post, Dup *igitur omnino uerborum principia, imposititiorum & declinatorum: alterum ut fons, alterum ut riuus.* Atque his adiicit, impositicia quidem nomina esse quampauciſsima voluisse, quo citius ea possent ediscere: at declinata, quamplurima. Sed quæ sequuntur, quid sibi volunt? A *d illud genus quod prius, historia opus est. nisi descēdēdo enim aliter id nō peruenit ad nos: ad reliquum genus, quod posterius, ars.* (nisi scripsit *artæ*) Quorsū enim historiæ mentionem hîc fieri, aut quid rei esse ei cum illo

priore genere dicemus? Suſpenſum lectorem nō tenebo, ſed ſtatim emendationem meam (qualemcunque mihi eam coniectura dedit) proferam. Suſpicor itaque ſcribendum eſſe, Ad *illud genus quod prius, memoria opus eſt. niſi diſcendo enim aliter id non peruenit ad nos.* Quid verò? an memoria & ad genus alterum, quod eſſe dicit poſterius, non eſt opus? Requiritur quidem certè & ad illud memoria, ſed minus. Adeo vt perinde ſit acſi dixiſſet (ſi quidem coniectura mea ἄστοχος eſt) Ad illud genus quod prius, memoria præcipuè opus eſt. Erit autem illud *diſcendo* dictum pro *ediſcendo*, id eſt, memoriæ mandando. Verùm, vt ab hoc loco ad aliud tranſeam, ſcribit itidem libro nono, pag. 137, *Impoſitio eſt in noſtro domnatu, nos in natura* (ſed *naturæ* legendum eſſe contendo) *quemadmodum enum quiſque uult, imponit nomen: at declinat quemadmodum uult natura.* Non dubito autem quin meam illam coniecturam ſeu emendationem coniecturalem vtroque pollice ſis laudaturus. Sed venio ad aliā cuiuſdam loci qui exiguo interuallo hunc ſequitur. Nam quum ita ſcriptum ſit in omnibus quas vidi editionibus, Nec *dubium eſt quin ordo declinatuum m quo res ſingulares declmantur, ſolæ ab ſingulari aliquo caſu proficiſcantur*: ego ita ſcribendum eſſe δεκλινόμαι, Nec *dubium eſt quin ordo decl. in quo res ſingul. declmantur ſolæ, ab ſingulari aliquo caſu proficiſcatur.* In qua lectione animaduerte vocem *ſolæ* iungi à me cum præcedentibus, quam ſequentibus iunctam habebas: & plurale *proficiſcantur* mutari in ſingulare *proſi-*

*aſcatur*. Nec verò minus hanc te emendationem vtroque pollice laudaturum ſpero. nam quod attinet ad vocem *ſolæ*, ſic vides in altero huius orationis membro cum præcedentibus ita connecti *ſolùm*: vbi dicitur, *item contrà in eo ordine qui multitudinis erit ſolùm, quin à multitudinis aliquo caſu ordiri conueniat*. Sed mirum eſt cur vtrobique dicat potius *ab aliquo caſu*, quàm *à recto caſu*, aut *à nominandi caſu*. quum ipſe quoque fateatur, pagina quæ hanc proximè ſequitur, impoſitiones in rectis caſibus fieri. Vbi quamuis adiiciatur *ſingularibus*, non minus id verum eſſe conſtat in iis quæ ſunt multitudinis. Cæterùm ſermo is in quo verſabar (ab emendationibus enim iſtis ad eum reuertor) requirit vt adiiciam quæ in eodem illo pag. 138 loco à Varrone adduntur. Nã ſequitur apud eũ, *quòd homines imperiti & diſperſi uocabula rebus imponunt, quocunque eos libido muitauit, natura mœrrupta eſt plerunque ſuapte ſponte*. Verùm quamuis hæc ita ſint, & tot locis Varro impoſitionem vocabulorum ab eorum declinatione ſeparare videatur, tamen præter eos qui iam allati ſunt locos de duplici declinatione, vna, voluntaria, altera, naturali, quendam nobis exhibet pagina 88, in quo talia ſcribuntur à Varrone vt librarij quidem fides haud poſſe ſuſpecta eſſe videatur, ſed Varro vel ſibi non conſtare, vel verbo declinare abuti dicendus ſit. Ibi enim poſtquam ſcripſit, Declinationum genera eſſe duo, Voluntarium & Naturale: & Voluntarium eſſe, quo vt cuiuſque tulit voluntas declinauit: exemplum iſtud affert, Sic

tres quum emerunt Ephesi singulos seruos, nõnũnquam alius declinat nomen ab eo qui vendit: Artemidorus, atq; Artemam appellat: alius aut ab regione, quòd ibi emit, ab Ionia, Ionem: aut ab vrbe Epheso, Ephesium: sic alius ab aliqua alia re, vt visum est. A quo antequã discedam loco, monendus est lector vt primùm quidem pro *quo* scribat *quod*, vbi legitur, *quo ut cuiusque tulit uoluntas declinauit*: nec secus intelligat quàm si scriptum esset, quod quisque declinauit vt sua tulit voluntas. Deinde vbi legitur, *declinat nomen ab eo qui uendit*: Artæmidorus, atque Artæmam *appellat*, sequatur potius hãc quorundam exemplarium scripturam, *declinat nomen ab eo quòd uendidit* Artæmidorus, *atque* Artæman *appellat*. Scribo item Artæman, nõ Artæmam: quum sit à recto Artæmas. Cæterùm paucis interiectis ad naturalem declinationem transiens, ita vocari scribit quòd non à singulorum oritur voluntate, sed à communi consensu. Verùm in iis quæ continuò subiungit, imposita nomina (vt alibi) appellat quæ declinata modò dixerat. Itaque (inquit) omnes impositis nominibus, eorũ item declinant casus, atque eodem modo dicunt huius Artemæ, & huius Ionis, & huius Ephesij. sic in aliis casibus. Ac fateor quidem de his quę in exemplum affert propriis nominibus, posse vtrunque dici, ea esse imposita, necnon esse declinata: sed ita vt negem verbo declinari eũdem vsum hîc dari, quem habet postea. Nam ibi de declinando siue inclinando (vt etiam loquitur) in casus aut in tempora, intelligi necesse

*aſcatur*. Nec verò minus hanc te emendationem vtroque pollice laudaturum ſpero. nam quod attinet ad vocem *ſolæ*, ſic vides in altero huius orationis membro cum præcedentibus ita connecti *ſolum*: vbi dicitur, *item contrà in eo ordine qui multitudinis erit ſolum, quin à multitudinis aliquo caſu ordiri conueniat*. Sed mirum eſt cur vtrobique dicat potius *ab aliquo caſu*, quàm *à recto caſu*, aut *à nominandi caſu*. quum ipſe quoque fateatur, pagina quæ hanc proximè ſequitur, impoſitiones in rectis caſibus fieri. Vbi quamuis adiiciatur *ſingularibus*, non minus id verum eſſe conſtat in iis quæ ſunt multitudinis. Cæterùm ſermo is in quo verſabar (ab emendationibus enim iſtis ad eum reuertor) requirit vt adiiciam quæ in eodem illo pag. 138 loco à Varrone adduntur. Nã ſequitur apud eũ, *quòd homines imperiti & diſperſi uocabula rebus imponunt, quocunque eos libido muiauit, natura mœrrupta eſt plerunque ſuapte ſponte*. Verùm quamuis hæc ita ſint, & tot locis Varro impoſitionem vocabulorum ab eorum declinatione ſeparare videatur, tamen præter eos qui iam allati ſunt locos de duplici declinatione, vna, voluntaria, altera, naturali, quendam nobis exhibet pagina 88, in quo talia ſcribuntur à Varrone vt librarij quidem fides haud poſſe ſuſpecta eſſe videatur, ſed Varro vel ſibi non conſtare, vel verbo declinare abuti dicendus ſit. Ibi enim poſtquam ſcripſit, Declinationum genera eſſe duo, Voluntarium & Naturale: & Voluntarium eſſe, quo vt cuiuſque tulit voluntas declinauit: exemplum iſtud affert, Sic

tres quum emerunt Ephesi singulos seruos, nõ-nunquam alius declinat nomen ab eo qui vendit: Artemidorus, atq; Artemam appellat: alius aut ab regione, quòd ibi emit, ab Ionia, Ionem: aut ab vrbe Epheso, Ephesium: sic alius ab aliqua alia re, vt visum est. A quo antequã discedam loco, monendus est lector vt primùm quidem pro *quo* scribat *quod*, vbi legitur, *quo ut cuiusque tulit uoluntas declinauit*: nec secus intelligat quàm si scriptum esset, quod quisque declinauit vt sua tulit voluntas. Deinde vbi legitur, *declinat nomen ab eo qui uendit*: Artœmidorus, atque Artœmam *appellat*, sequatur potius hãc quorundam exemplarium scripturam, *declinat nomen ab eo quòd uendidit* Artœmidorus, atque Artœman *appellat*. Scribo item Artœman, nõ Artœmam: quum sit à recto Artemas. Cæterùm paucis interiectis ad naturalem declinationem transiens, ita vocari scribit quòd non à singulorum oritur voluntate, sed à communi consensu. Verùm in iis quæ continuò subiungit, imposita nomina (vt alibi) appellat quæ declinata modò dixerat. Itaque (inquit) omnes impositis nominibus, eorũ item declinant casus, atque eodem modo dicunt huius Artemæ, & huius Ionis, & huius Ephesij. sic in aliis casibus. Ac fateor quidem de his quę in exemplum affert propriis nominibus, posse vtrunque dici, ea esse imposita, necnon esse declinata: sed ita vt negem verbo declinari eũdem vsum hîc dari, quem habet postea. Nam ibi de declinando siue inclinando (vt etiam loquitur) in casus aut in tempora, intelligi necesse

eſt: at quum dicitur nomen Artemas è nomine Artemidorus declinari, Ion ab Ionia, Epheſius ab Epheſo, perinde eſt acſi diceretur effingi cũ quadam mutatione. Sed quàm ſunt multa vocabula primigenia quæ impoſita quidem dicere licet, at non etiam declinata? quum nullum omnino inueniri vocabulũ poſsit ad quod impoſitor reſpexiſſe, & ad quod effinxiſſe quodpiã eorum dici queat? Vt taceam, nonnulla ita eſſe impoſita vt neque ad aliud quidquam impoſitores eorum reſpexiſſe dici poſsint, ſed temere potius id feciſſe quàm aliquid rationi conſentaneum ſibi propoſuiſſe dici debeant. Quod mihi ſiquis neget, teſtimonio ipſius Varronis nitar, ex pagina 138, *quòd homines imperiti & diſperſi uocabula rebus imponunt, quocunque eos libido inuitauit*. Sic verò & pag. 129, *quòd declinantes* (niſi potius ſuppoſititium eſſe hoc *declinantes*, aut aliunde huc immigraſſe dicendum eſt) *imperitè rebus nomina imponunt. à quibus quum acceperit conſuetudo, turbulenta neceſſe eſt dicere.* Sed quamuis hæc iſtis in locis legantur, tamen in iis quæ præcedunt, ſi ea quidem ſcribantur vt ſcribenda cenſeo, ad rationem reſpici ab impoſitoribus ait. nam iſta quidem eſt lectio quam editiones omnes habent, De *his duabus partibus, uoluntaria declinatio refertur ad conſuetudinem, naturalis ad rationem:* verùm abſurdum quum ſit, dicere, voluntariam declinationem, à qua rebus nomina imponuntur (vt paulo antè oſtendi, declinationem impoſitioni etiam tribui) referri ad conſuetudinem, à Varrone ſcriptum eſſe ideóque & à

nobis ſcribendum eſſe arbitror, De *his duabus partibus, uoluntaria declinatio refertur ad rationem, naturalis ad conſuetudinem.* Referri enim hanc ad conſuetudinem non ad rationem oſtendit eo quod proximè ſubiungit exemplo, *Quare proinde ac ſimile conferri non oportet*, (ſed inſerens quę huic loco deſunt, ſcribo, *Quare* Roma *&* Capua *proinde ac ſimile conferri non oportet.* vel Roma *cum* Capua) *ac dicere, ut ſit à* Roma Romanus, *ſic ex* Capua *dici oportere* Capuanus. Nam ſi ad rationem referretur naturalis declinatio, ſequeretur contrarium, videlicet oportere conferri inter ſe iſta duo, Roma & Capua, atque, vt dicitur Romanus, ita dici Capuanus. Eſtque & aliud obiter hîc obſeruandum, ei declinationi naturali cuius exempla hîc affert, aliud munus imponi quàm declinandi aliquod vocabulum in caſus vel in tempora: & quidem eiuſmodi munus quod ſecundariam quandam impoſitionem (meo quidem iudicio) vocare licet. vt prima quidem ſit, quum à Romulo dicitur Roma, at ſecunda, vel ſecundaria, quum à Roma dicitur Romanus. Verùm, vt ad meam illam emendationem reuertar, non dubito quin aſſenſuri ci ſint omnes, naturalem declinationem ad conſuetudinem referri volenti: ſed de eo quòd viciſsim declinationem voluntariam ad rationem nos referre vult, vereor ne nonnulli ſint ab ea diſſenſuri: quum hoc repugnet loco illi quo impoſitores imperitiæ accuſat, & libidinem ſuam ſequi oſtēdit. Quæ enim magis ex diametro pugnare dici poſſunt, quàm hæc duo, rationem ſequi, &

eſt: at quum dicitur nomen Artemas è nomine Artemidorus declinari, Ion ab Ionia, Epheſius ab Epheſo, perinde eſt acſi diceretur effingi cũ quadam mutatione. Sed quàm ſunt multa vocabula primigenia quæ impoſita quidem dicere licet, at non etiam declinata? quum nullum omnino inueniri vocabulũ poſsit ad quod impoſitor reſpexiſſe, & ad quod effinxiſſe quodpiã eorum dici queat? Vt taceam, nonnulla ita eſſe impoſita vt neque ad aliud quidquam impoſitores eorum reſpexiſſe dici poſsint, ſed temere potius id feciſſe quàm aliquid rationi conſentaneum ſibi propoſuiſſe dici debeant. Quod mihi ſiquis neget, teſtimonio ipſius Varronis nitar, ex pagina 138, *quòd homines imperiti & diſperſi uocabula rebus imponunt, quocunque eos libido inuitauit*. Sic verò & pag. 129, *quòd declinantes* (niſi potius ſuppoſititium eſſe hoc *declinantes*, aut aliunde huc immigraſſe dicendum eſt) *imperitè rebus nomina imponunt. à quibus quum cœpit conſuetudo, turbulenta neceſſe eſt diœre.* Sed quamuis hæc iſtis in locis legantur, tamen in iis quæ præcedunt, ſi ea quidem ſcribantur vt ſcribenda cenſeo, ad rationem reſpici ab impoſitoribus ait. nam iſta quidem eſt lectio quam editiones omnes habent, De *his duabus partibus, uoluntaria declinatio refertur ad conſuetudinem, naturalis ad rationem*: verùm abſurdum quum ſit, dicere, voluntariam declinationem, à qua rebus nomina imponuntur (vt paulo antè oſtendi, declinationem impoſitioni etiam tribui) referri ad conſuetudinem, à Varrone ſcriptum eſſe ideóque & à

nobis ſcribendum eſſe arbitror, De *his duabus partibus, uoluntaria declinatio refertur ad rationem, naturalis ad cõſuetudinem.* Referri enim hanc ad conſuetudinem non ad rationem oſtendit eo quod proximè ſubiungit exemplo, *Quare proinde ac ſimile cõferri non oportæt.* (ſed inſerens quę huic loco deſunt, ſcribo, *Quare* Roma *&* Capua *proinde ac ſimile cõferri non oportæt.* vel Roma *cum* Capua) *ac diære, ut ſit à* Roma Romanus, *ſic ex* Capua *dici oportære* Capuanus. Nam ſi ad rationem referretur naturalis declinatio, ſequeretur contrarium, videlicet oportere conferri inter ſe iſta duo, Roma & Capua, atque, vt dicitur Romanus, ita dici Capuanus. Eſtque & aliud obiter hîc obſeruandum, ei declinationi naturali cuius exempla hîc affert, aliud munus imponi quàm declinandi aliquod vocabulum in caſus vel in tempora: & quidem eiuſmodi munus quod ſecundariam quandam impoſitionem (meo quidem iudicio) vocare licet. vt prima quidem ſit, quum à Romulo dicitur Roma, at ſecunda, vel ſecundaria, quum à Roma dicitur Romanus. Verùm, vt ad meam illam emendationem reuertar, non dubito quin aſſenſuri ei ſint omnes, naturalem declinationem ad conſuetudinem referri volenti: ſed de eo quòd viciſsim declinationem voluntariam ad rationem nos referre vult, vereor ne nonnulli ſint ab ea diſſenſuri: quum hoc repugnet loco illi quo impoſitores imperitiæ accuſat, & libidinem ſuam ſequi oſtẽdit. Quæ enim magis ex diametro pugnare dici poſſunt, quàm hæc duo, rationem ſequi, &

*libidinem* ſuam ſequi ? Alio tamen nullo ſolui nodus hic modo poteſt, quàm afferẽdo vocem quæ pro illa *rationem* aptè ſubſtituatur. Platonem quidem certè, impoſitores nominum ſeu appellationum (qui ὀνοματοθέται à Græcis vocantur)perinde laudantem in ſuo Cratylo acſi nullam temere impoſuiſſent, decebat ita loqui vt illas impoſitiones ad rationem referri diceret: at non Varronem, tam eos vituperantem quàm magnis laudibus ab illo afficiuntur. Verùm vt ab illo nimium laudati,ſic ab hoc nimiũ fuiſſe vituperati videntur:præſertim quum tales multorum afferat vocabulorum etymologias: vt nihil minus quàm temere tales rebus impoſitas eſſe appellationes, quiuis meritò dicturus ſit.

ADDAM huic capiti pauca de eo etiã quod à Varrone ſcribi dixi, nonnulla eſſe in quibus ſermo naturam ſequatur. Is libro octauo, in fine paginæ 115, reſpondens iis qui dicunt, quum ſit ſimile, *ſtultus* & *luſcus*,& dicatur, *ſtultus*, *ſtultior*, *ſtultiſſimus* : non dici, *luſcus*, *luſcior*, *luſciſſimus*: eo id fieri ait quòd natura nemo luſco magis ſit luſcus:quum ſtultior fieri videatur.Sed ego pro his,*quum ſtultior fieri videatur*, ſcribendũ cenſeo, *quum ut ſtulto ſtultior ſit*, *poſſe fieri videatur*. Et pagina quæ hanc præcedit, de publicis balineis & de ſcalis loquens, oſtendit,non abs re multitudinis vocabulo rem vtranque eſſe nominatam:vbi etiam (vt de hac quoque lectione mendoſa obiter moneam) ſcriptum à Varrone fuiſſe exiſtimo, *Quibus reſponderi poteſt*, *non eſſe*

*reprehendendum quòd ſcalæ & aquæ calidæ & pleraque* (vel *alia pleraque*) *tantùm multitudinis uocabulis ſint appellata*. niſi quis *tantùm*, quod ex vocula *cum* facio, malit omitti. Quod autem ad vocab. *ſcalæ* attinet, oſtendit aliquanto poſt quomodo naturæ cõſentaneum eſſe iudicet, quod illud in numero tantùm multitudinis dicitur. Hæc eius verba ſunt, *Sic ſcalas, quòd à ſcandendo dicantur, & ſingulos gradus ſcanderent, magis erat quærendum ſi appellaſſent ſingulari uocabulo ſcalam: quum origo nominatus oſtenderet contra*. Vbi duo ſunt de quibus te moneam: vnum, hîc originem nominatus nihil aliud eſſe quàm periphraſin eius quod Græci etymologiam vocant: (tanquam id quod cum etymologia conſentit, cum ipſa etiam natura conſentiat) alterum, contendere me, ſcribi debere non *quærendum*, cum diphthongo, ſed *querendum*. id eſt conquerendum.

Dixerat autem & pagina 113, eos qui analogias (nam & ibi hanc ſcripturam habemus) reprehendunt, quòd alia vocabula ſingularia ſint ſolùm, vt *aër*: alia, multitudinis ſolùm, vt ſcalæ: quum debuerint omnia eſſe duplicia, vt *equus*, *equi*: obliuiſci, analogiæ fundamentum eſſe naturam. Nam & vſu ſingulare eſſe quod natura vnum ſignificat, vt *equus*: aut quod [ſignificat] coniuncta quodammodo ad vnum vſum: vt *bigæ*. itaque vt dicimus *una muſa*, ſic dicere *unæ bigæ*.

Iam verò & de caſibus loquens, ſcribit, (pag. 115) *Item reprehendunt de caſibus: quòd quidam nominatus habent rectos, quidam obliquos: quòd dicunt*

*utroſque in uocibus oportere. Quibus idem reſpondere poteſt: in quibus uſus & natura non ſubſit, ibi non eſſe analogiam.* &c. Vbi non dubito quin priori periodo quædam deſint, & à Varrone ſcriptũ fuerit, *quòd dicunt utroſque in omnibus uocibus eſſe oportere.* Intellige autem, vtroſque caſus, tam rectos quàm obliquos. Nam & vbi dicitur, *quòd quidam nominatus habent rectos*, non debemus vocem *nominatus* cum voce *rectos* iungere: ſed ita accipere vt dicantur quidam nominatus habere caſus rectos, quidam obliquos.

Sunt & alia quibus probare conatur quod dixi, quædam eſſe in quibus ſermo naturam ſequatur: verùm vt ea miſſa faciens, de illo diſſeram exemplo, quod tanquam validiſsimum affert, quódque ideo, tanquam anteſignanum, primo in loco conſtituit: interroget Varronem quiſpiam, Quid? an tu Varro exiſtimas, Græcos aliquid quod naturæ eſſet repugnans, in ſuum ſermonem voluiſſe admittere? Atqui quod in multitudinis numero *ſcalas* dicis, illi κλίμακας equum de vnis tanrùm ſcalis loquuntur, appellant. quod nomen ſingulare eſt. Nec verò σωωεὶς, pro quo Latini *bigas* dixiſſe exiſtimantur, plurale eſt, ſed itidẽ ſingulare. Quid ſi verò conſuetudini libuiſſet nomine *biga*, vel *triga*, vel *quadriga*, tanquam adiectiuo, vti, atque id ſubſtantiuo *rheda* iungere: nónne *biga rheda*, vel *triga rheda*, vel *quadriga rheda* dicere, natura non reclamante, potuiſſet? ſiue tu *biga*, tanquam biiuga, ſiue tanquam biaga dici velis? quorum vtrumcunque dixeris, idem & de duobus aliis

pronuntiãdum fuerit. An hæc nominatus origo (vt tu etymologiã ψευφεάζειν videris) repugnare naturæ dicenda fuiſſet? Verùm, quoniã reſpondere Varro potuiſſet, ſe nihil Græcos morari, hoc addam, veriſimile non eſſe neminem eius ſeculo *bigam*, vel *trigam*, vel *quadrigam* dixiſſe: quum poſterorum nonnulli iis vti non dubitarint: atque ex ipſorum etiam iuriſconſultorum ore, quos ne in ſermonem quidem ſuum quidquam abhorrens à natura fuiſſe admiſſuros existimo, (nam de recentioribus haud loquor) *bigam* quoque, *trigam*, *quadrigam* audiamus. Sed quid & eorum & aliorum ad autoritatem confugere neceſſe eſt, quum ipſemet Varro quadrigæ appellatione vſus fuerit? an ea vtens, naturæ ſimul & ſibi repugnauit? Iam verò & *ſcalam* ſingulariter, ſicut Græcos κλίμακα, cùm alios tum etiam eorundem iuriſconſultorum aliquem aut aliquos dixiſſe conſtat. Varronem itaque aliis potius exemplis hîc vti, ac non hîc tantùm ſed aliis pleriſque in locis bonam Analogiæ cauſam melius defendere debuiſſe, ſicut antea dixi, nunc quoque dico.

# DE ANALOGIA,
## EX IVLIO CAESARE SCALIGERO.

HAEc ſic expediuimus, vt exactius quartam rationem, qua & Analogiam & Etymologiam tollunt, perpendamus. quare videndum prius eſt quibus vtantur rationibus ad confirmandum. Quum Analogia, inquiunt, ſit æqualitas quædam, ſecundum quam ſimilia ducimus è ſimilbus: vt, *à Fructu, fructuoſus*: ſic, *à Geſtu, geſtuoſus*: primùm oſtendere nituntur quòd non ſit neceſſaria, deinde quòd nullo modo ſit. Vtilitatis cauſſa inuentus eſt ſermo: magis igitur refert vt breuis & rectus & ſimplex ſit, quàm longus & varius: at æqualitas deducẽdi variat multa: non igitur admittenda. Præterea ab eodem rerum vſu reiicitur æqualitas. eo nanque conſilio muliebris mundus à virili ornatu differt. Itémque in ædificiis Corinthia ſtructura à Dorica & Thuſcanica & Ionica longè alia eſt. Neque verò id ex artibus ſolùm coniectari, ſed ipſa quoq; natura latè conſpici poteſt. etenim membrorum compagem aliam atque aliam eſſe, vſui fuit. AEqualitas igitur non ſolùm non neceſſaria eſt, ſed etiam officit. Quòd ſi quis ita dicat, non vſum ſolùm queri, ſed elegantiam quoque: is adhuc intelligat, magis reiiciendam etiam-num ſimilitudinem. nihil enim propius faſti-

dio, nihil elegantius varietate. Ad hæc, aut attem ſequemur, aut conſuetudinem. ſi hanc, nihil opus eſt æqualitate, ſed quæcunque vſu ſuggerentur, ea nobis erunt ſatis: ſi verò artem, ac præcepta, vt æqualiter omnia ducamus, pro inſanis habeamur, neque enim id fiat, vt quemadmodum *lupus*, ſic *lepus* flectatur: ſed hoc, *leporis*, illud, *lupi* faciet. Non eſt ergo neceſſaria Analogia.

Quòd autem nulla ſit, ſic conantur: Abeſt ab omnibus orationis partibus: igitur nuſquam eſt. Ac ſanè in generibus non eſt: quædam nanque trium vocum ſunt, *Humanus, humana, humanum*: quædam, duarum, *Ceruus, cerua*: quædam ſingulis contenta, *Aper*. Neque ipſa Genera ſimilitudine vocum afficiuntur: nam *Martia*, & *Siſenna*, diuerſo ſexu, eadem vocis forma ſunt. Item eadem genera vnica voce confuſa, atque ignota, vt, *Paſſer*, *Aquila*: quum tamen & ibi fœmina, & hîc etiam mas ſit. Ac ne numerus quidem agnouit Analogiam: nam quamobrem non dicimus *aëra*, ſicuti *farra*? neque *olea*, ſicuti *uina*? Non enim rectè reſponderunt antiqui, ob generum diuerſitatem, in *uino* multitudinis numerum receptum eſſe: quia aliud eſſet *Chium*, aliud *Lesbium*, aliud *Falernum*: nam Ciceris quoque valde ſunt diuerſæ ſpecies, folio, ſiliqua, ſemine. In Temporibus item deſideratur: quippe à *Fleo*, *fleui*: à *Sero*, *ſeui*: à *Fero*, *tuli*: vbi à diſſimilibus ſimilia, à ſimilibus diſſimilia orta ſunt. Item à *Paſco*, *pauī*: ab *Amaſco* non eſt. Modi quoque Analogiæ immunes ſunt: multi enim carẽt,

vt *forem*. Nec Figuræ ducuntur Analogia: nam quare dico AE*nobarbum*, non AE*nibarbum*? aut quare *magniloquum*, non *magnoloquum*? Quinetiam in deriuando ipſas ſpecies, æqualitatis nullam curam habemus. ſiquidem à Boue, *boule*: ab Oue, *ouile*: à Sue nihil ducitur. Et *bubulam* dicimus: at ab Oue, *ouillam*: à Scribo, *ſcriptor*: à Bibo nihil tale: ſed contrà, à Bibo, *bibacem*: à Scribo nullum ſimile. Item in Comparatiuis & Superlatiuis: Clarus, *clarior*, *clariſſimus*: Simulis, *ſimulimus*: à Bono, *melior*, *optimus*. Sic neque in Diminutiuis: Anus, *anicula*: Manus, *manuſcula*: à Puſione, *puſillus*: à Morione nihil. Quid quòd ne Accentus quidem ratio vlla eſt ſimilis? etenim Hectorem & *prætorem*, eiuſdem formæ nomina, alia & quantitate & ſoni qualitate pronuntiamus. Sed & eadem nomina variis quantitatibus alias atque alias proles generant: à Lucio, *lux*, longa, *luerna*, breuis. Immò etiam eadem inconſtantia in eadem voce deprehendetur: neque id apud poetas ſolùm, Pharſalia, Italia, Siciania: ſed etiam communi vſu. nam in lege fundi venditionis, *ruta cæſa* ita pronuntiabant priſci vt prima vocalis produceretur, alibi ſemper correpta eſſet.

Quòd ſi non eſt neceſſaria, neque eſt in accidentibus partium: (quippe nõ in Primariis, non in Deriuatis, non in Declinatis: immò in vno eodémque inæqualitas) Analogia nulla erit.

## *Argumentorum dissolutiones.*

HI, qui sese literaturæ hostes profitentur, potuissent à nobis ferri sanè, nisi pessimum facinus ausi essent. Neque enim solùm caussas rationésque proportionis tollere in re literaria, sed etiam totam naturam ipsam demoliri videntur mihi. Diruunt enim AEqualitatem & Similitudinem, omniáque casui subiiciunt: contra quàm faciebat Plato, qui etiam nominum ac verborum statum flexúmque, naturæ certis legibus constare atque duci arbitrabatur. Nos igitur vtrunque extremum, tanquam vitiosum, reiiciamus. Ac decem quidem principes rationes, quibus aliæ quoque annectuntur, scio à veteribus obscurè simul & pluribus verbis inculcatas: quæ hîc tam clarè patent, támque ordine digestæ sunt, vt quod illi orationis fuco, nec satis apta copia, quæsiuere id hac nos serie, vt quàm efficacissimæ appareant, consecuti videamur.

Quibus vt respondeamus, paulo altius ordiendum est. Naturam, rerum omnium autorem, quæcunque agat, propter finem agere receptum est: quare necessariò fit vt certum quiddam agat. vnde membrorum, quæ in animalibus sunt, caussas, officia, opera luculentissimis libris à nobis sunt explicata. Propterea verò quòd interdum aliis atque aliis circumuenitur impedimentis, ita vt aberrare cogatur: quibusdam præuenta angustiis non id agit quod intendebat. Itaque homini aut addit sextum digi-

tum, aut tollit manum, aut decurtat crus, aut aliud quippiam eiuſdem modi monſtrorum parit. Cæterùm quia maxima ex parte rectè opus ſuum peragit, nequaquam ei deeſſe operi, quod proponit, dicimus: neque iccirco naturam negare debemus. Verùm nonnulla rectè atque ordine in lucem prolata deprauat conſuetudo: quales ſunt ij quos vſus adegit vti valgij eſſent, aut vari, aut compernes. Etiam caſus multum potuit, quo aliquis claudicaret, aut luſcus eſſet, aut ſtrabo. AEtas quoque atque imitatio detorſit priſtinum quorundam inſtitutum, quò detracti à natura ſua degenerarent. Quemadmodum igitur vel caſu, vel vſu, natura aut peruertitur aut immutatur: neque propterea tamẽ naturæ opera neganda ſunt: ita non continuò Analogia, (quæ natura quædam vocum eſt) ſicubi deſit, ab omnibus tollenda ſit. Eſt ante oculos Phalaris, Dionyſius, Nero, alia monſtra: in his iuſtitiam atque animi moderationem deſideres: igitur nuſquam hæc erunt? Alexander raucius loquebatur, obſtipa ceruice erat, non à primordiis natalium ſuorum: ſed pædagogi nequitia diſtractus fuit à ſimplici illa regia indole. Hominis igitur fuerat integritas, conſuetudinis, prauitas. Species enim per ſingula corpora propagantur, inter quæ nullum formæ diſcrimen inuenitur: ita etiam in verbis fit. Sicut ergo in natura deductio triplex, ſic & in vocibus. Triplex autem ad modũ hunc: propterea quòd ea quæ deducuntur, tribus diuerſa ſunt differentiis. Nam aliquid dicitur eſſe diuerſum ab alio,

Forma, vt equus ab homine : aliud Materia, vt hic homo, ab hoc homine: aliud Accidente, vt hic homo ſedens, ab ſeipſo ſtante. Quare in vocibus quoque aliud erit nomen hoc, Homo, à verbo hoc, Pugno: forma enim diſtant. Secundo modo aliud, nomen hoc, Homo, à nomine hoc, Equus. Tertio, aliud nomen hoc, Homo, à nomine hoc Hominis. Poſſunt autem ea quæ vel Forma vel Materia ſola diſtant, etiam Accidente differre: vt homo niger ab equo, & homine albo: ſic nomen hoc, Homo, & à verbo hoc, Sequor, & à nomine hoc, Equus, diſtabit accidente quoque. id eſt, lineamentis elementorum. Itaque etiam inflexione diſtare poterũt. Ac quemadmodum eiuſdem nationis viri duo, etiam fratres, etiam gemini, etiam pares facie, etiam colore, tamen manuum aut crurum flexu diſsimiles eſſe poterunt: neque tamen auferetur quin duo peregrini inter ſe ſimiles ſint, (hoc enim accidens eſt) ita in vocibus: Equus & Lupus conuenient accidente, Lepus non conuenit: ſed Analogia erit inter Lupum & Equum, quia cum Lepus non eſt. Non ergo tolletur, propterea quòd inter Lepus non eſt: ſed ponetur, quoniam inter Lupus eſt & Equus. Sed habet ſuam cauſſam Lepus, qua deſciſcat, ſequatúrque aliam proportionem, vt faciat Leporis: propterea quòd Græci Dorienſes ita & appellabant & flectebant. quare generis quoque Analogiam ſequutus eſt Lepus Græcam, non Latinam Equi, ὁ καὶ ἡ λέπους. Neque ſolùm genus inde, ſed vocis in recto caſu lineamenta Latina

sibi assumpsit:vt esset Lepus, sicut Equus. Quare hoc etiam intererit Analogiæ, vt aliis atque aliis caussis partim talia, partim alia sint. Neque enim quemuis hominem decet robur, aut celeritas: quare robustum & celerem non sequetur eadem membrorum Analogia:at omnes robustos eadem, eadémque alia seorsum veloces omnes. Siquem autem membrorum proportione præditum inueniamus, officio autem illi inutilem:hunc casu, aut alio quo fato separatum ab ea proportione iudicabimus, non propter vnũ tollentes cætera omnia. Itaque sic est acutissimè contra aduersarios concludendum, Non posse eos inficiari Analogiam, nisi in quibusdã ponant. est enim Habitus prior Priuatione, non tempore, sed cognitione: sicut affirmatio negatione. In paucis non esse casu, in cæteris omnibus consilio similitudinis. Euenit autem interdum vt deficiantur nomina proportione illa, propterea quòd res ipsæ deficiuntur. nam sexus & principiis quibusdam & officiis discreti sunt: itaque alteri quod designes nomen, alteri non conueniat. Proprium fœmellæ nubere est: iccircò non transibis à fœmina ad marem ipso participio, vt tantummodò *nuptam* dicas. vbi non tolletur Analogia, quia *doctum* & *doctam* dicas: sed ponetur, iccirco quia Analogiæ pars est, sequi significatum. Alia quoque pars eius est, sequi concinnitatem: sicuti hominis officium seruare decorum. Ergo siquid scabrum erit in deducto, maluit ars abstinere: quum tamen natura non repugnaret. Græci συμφωνίαν nominant

finem hunc, nos etiam Habilitatem possumus, non solùm Concinnitatem. Sic reiecta sunt multa: *for, faux, prex, metuturus, nutritrix*, atque eiusmodi: vt suppressæ potius ab vsu, quàm negatæ à natura vocum sint.

His legibus diruuntur argumenta omnia. Nam friuola satis sunt quę negant necessariam. ac primùm quidem admodum ridiculũ, quòd breuitatis ratione tollendas curat inflexiones, quum tamen per inflexiones tollatur ambiguitas. Aliæ quoque rationes nullæ sunt. varietas enim, quam asserunt, nequaquam reiicit æqualitatem. Est enim æqualitas interdum inter duo, propterea quòd ipsa sunt aliis inæqualia. ita distant æqualiter duo triangula ab vno quadrato: quia inter se æqualia sunt. Ac satis est vt varietas sit inter species, non diuersitas in speciebus. Atque Analogiæ quidem ratio ac natura sic constat.

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek München